Quaestiones porphyrioneae

Paul Wessner

QVAESTIONES PORPHYRIONEAE

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

PAVLVS WESSNER

IENENSIS

LIPSIAE

TYPIS B. G. TEVBNERI

MDCCCXCIII

1893. May 6.
Univ. of Jena.

§ 1. De patria et aetate Pomponii Porphyrionis, quem commentarios in Horatii carmina composuisse notum est, nihil veteres tradiderunt: nihilominus viri docti vario modo et a variis profecti fundamentis et de patria et de aetate quaesiverunt. Qua in re quae sibi effecisse videbantur singuli, haudquaquam ita inter se congruunt, ut novae quaestioni materiem praeripuerint. Nos vero, ut quaestionem de patria commentatoris, quae minoris est momenti, hic mittamus[1]), hoc libello id nobis proposuimus ut Porphyrionem certo saeculo tribuamus sententiamque nostram quantum fieri possit satis firmis argumentis comprobemus.

§ 2. Sed priusquam rem ipsam aggredimur, sententias virorum doctorum, qui usque ad haec tempora illam quaestionem tractaverunt, breviter percenseamus et quibus argumentis suam quisque sententiam fulcire conatus sit videamus. Qua in re hoc praemonendum est illos in duas partes discessisse; alii enim, quo in numero sunt Kellerus et Kiesslingius, ineunte saeculo tertio Porphyrionem vixisse existimaverunt, alii autem, in quibus Sittelius, G. Meyerus, Urba sub finem quarti saeculi eum vitam degisse affirmaverunt.

Ac primum quidem iis quae Kellerus[2]) ad confirmandam sententiam protulit, nullam omnino argumenti vim tribuere possumus[3]); nam postquam Porphyrionem intra annos 140 et 300 vixisse contendit, nulla se re impediri affirmat, quominus Porphyrionis commentarios inter annos 200 et 250 scriptos esse sumat. Neque Kiesslingius[4]) quid de hac re sentiret satis firmis argumentis comprobasse mihi videtur. Dicit enim fere haec: 'Cum Iulius Romanus apud Charisium Marcium quendam Salutarem laudet, ad quem vix ante Alexandri aetatem provocare potuerit, idemque

1) Cf. de hac re O. Keller, Symbola Phil. Bonn. p. 495 sq.; C. F. Urba, Meletemata Porphyrionea P. III passim.

2) l. c. p. 491.

3) Cf. Sittl, Die lokalen Verschiedenheiten der latein. Sprache 1882 p. 90 adnot. 22.

4) De personis Horatianis commentatio. progr. Gryphisw. s. aest. 1880 p. 6 adnot. 6.

Romanus locum afferat e Porphyrionis commentariis depromptum, satis idoneam causam se non videre cur Porphyrionis aetatem infra tertii saeculi partem priorem detrudamus.' Et bene res se haberet, si de Marcii Salutaris aetate inter viros doctos satis constaret; velut a Schwabio[1]) ille '*vir perfectissimus*', ut est apud Charisium, in numero eorum refertur, qui in priore quarti saeculi parte scripserunt.

§ 3. Vt sententias eorum, qui aliter de hac re arbitrantur, perlustremus, Meyerus[2]) nihil protulit nisi quod Porphyrionem ante finem saeculi quarti p. Chr. n. commentarios suos composuisse professus est. Sittelius[3]) deinde haec affert sententiam suam confirmaturus: '*Ich setze auch den Horazscholiasten Pomponius Porphyrio in diese Periode, obgleich ihn die Litterarhistoriker gewöhnlich dem zweiten oder dritten Jahrhunderte zuteilen; er schreibt nämlich für einen Grammatiker sehr schlechtes Latein; so ersetzt er den Infinitiv mit dem Akkusativ häufig durch quod und verbindet damit im Kommentare zu den Satiren sogar regelmäfsig den Indikativ. Der erste Grammatiker, der sonst diesen Sprachfehler häufiger begeht, ist meines Wissens Macrobius, wonach Porphyrio, da er von Charisius citiert wird, frühestens in die Mitte des vierten Jahrhunderts gehört.*' Sed qualia sunt haec argumenta! Ipse concedit Sittelius (p. 110—111) illam constructionem iam apud Tertullianum et Cyprianum qui ineunte tertio saeculo vixerunt legi. Quid? si non Macrobius sed Porphyrio primus grammaticus fuit, qui hac in re ab optimorum scriptorum sermonis consuetudine discessit? Nonne ex eo quod Tertullianus et Cyprianus, qui in Africa ineunte saeculo tertio vixerunt, concludere possemus Porphyrionem, quem idem Sittelius Africanum fuisse contendit, eodem tempore floruisse? —

§ 4. Restat ut de Urbae[4]) sententia disseramus. Qui vir doctus postquam Porphyrionis proprietates sermonis diligenter perscrutatus est Porphyrionem non ante saeculi quarti finem vixisse concludit. '*Quid quod etiam aetati vel inferiori possemus eum adscribere, nisi loco illo ex Charisio deprompto tempus indicaretur, ultra quod non licet progredi.*'

Sed ex ipsius Urbae verbis satis apparet, quam incerta talis argumentatio sit. Nam si fieri potuisset, Porphyrionem quinto potius saeculo se adscripturum fuisse fatetur, neque verba illa

1) Teuffel, Hist. Litt. Rom.[5] p. 1024.
2) Porphyrionis commentarii . . . rec. G. Meyer 1874, praef. p. VI.
3) l. c. p. 89.
4) l. c. p. 63.

'*quod ultra Charisii aetatem progredi non licuerit*' specie quadam doloris vacant.

Sed ne temere de Urbae sententia iudicare videamur, praesertim cum a nonnullis videatur accepta esse[1]), fundamenta quibus illa nititur accuratius inspiciamus et examinemus necesse est.

§ 5. Urba cum inprimis demonstrare studeret haud paucas voces, quae extant in Porphyrionis commentariis, vulgari sermoni tribuendas esse, id quod ei revera contigit[2]), in altera commentationis suae parte magna diligentia observationes lexilogicas composuit. Ac primum quidem voces collegit quas ipse Porphyrio vulgari sermoni adtribuit, quibus alias voces dictionesque asseruit, quas suo periculo sermoni plebeio non sine aliqua probabilitatis specie tribui posse arbitratus est.[3]) Deinde eas congessit adnotationes Porphyrioneas, e quibus aliquid concludi posse videretur ad pronuntiationem vel historiam verborum quorundam cognoscendam. Sequitur enumeratio earum vocum quas Georges in lexico suo neglexit[4]), quarum plerasque pro 'terminis technicis' grammaticorum esse habendas dixit. Iam contulit quae Porphyrionis *ἅπαξ εἰρημένα* esse censuit, quae voces insolitas in Porphyrionis commentariis repertas sequi iussit, quarum nonnullas ad Porphyrionis dictionem aestimandam eiusque aetatem definiendam haud parvi momenti esse credit. Alias deinde observationes addidit ad verborum syntaxin et sermonis Porphyrionei proprietates pertinentes, quibus praecipue Africanam Porphyrionis originem comprobari putat.

§ 6. Sed iam illam verborum supellectilem ab Urba collectam perlustremus. Et primum quidem dubium esse non potest quin ex vocibus vulgari sermoni tribuendis atque ex eis quae *ἅπαξ εἰρημένα* dicuntur ad aetatem Porphyrionis definiendam nihil elici possit neque quae sequenti paragrapho continentur ad nostram quaestionem pertinent. Si reliquam verborum molem contemplamur, facile apparet magnum inesse numerum eorum quae Graecam originem aperte prae se ferunt. Sunt autem haec: '*allegoricos, *antitheton, *aphelos, *archaeus, aretalogus, auxesis, *cacozelon, characterismos, coccyx, cylix, diaeresis, dilogos, diplois, dramaticos, energos, *energia, epanalempsis, epi-

1) velut Teuffel, Hist. Litt. Rom.[5] p. 949; cf. etiam Schanz, Hist. Litt. Rom. II p. 93.

2) Cf. Weyman in Woelfflini Archio T. II p. 492.

3) Cf. quae Georges ab Urba omissa commemoravit in Ann. Burs. 1886, III p. 42 sq.

4) Cf. Georges l. c.

thesis, epitrope, genesis, horoscopus, hypate, idioma, ironicos, lagyna, *metaphoricos, metonymia, mimesis, mimeticos, parechasis, parenthesis, *periphrasis, phantasia, philosophos, philosophumenos, pragmatia, prosodia, protreptice, satyricos, syncope, *tapinosis, tragoediographus, zelus, zeugma.' Quibus asteriscum adposui, ea Graecis quoque litteris scripta in Porphyrionis codice Monacensi (M) extant. Porro qui indicem, quem Meyerus editioni Porphyrionis addidit, inspexerit, facile reperiet non iis tantum quae attulit Urba vocabulis Graecis usum esse Porphyrionem, sed multo maiorem numerum Latino sermoni inseruisse, quod praecipue in terminis technicis, quae ad artem grammaticam spectant, factum est.

§ 7. Sed etiam alibi sermo Latinus Graecis permixtus est vocibus, cuius rei Kellerus[1]) luculentissima exempla exhibuit haec: ad A. P. 42: '*loquitur nunc περὶ τῆς ⟨εὐ⟩ταξίας*'; ad c. I 16, 17: '*iam hoc ἀπὸ παραδείγματος infert*'; ad Ep. II 1, 128: '*verum est: multae enim sunt in poetis utiles βιωφελεῖςque sententiae*'; cf. ad c. I 2, 21: '*ἀσυνδέτως transiit.*' — Haud raro praeterea Porphyrio vocem Latinam Graeco vocabulo interpretatus est, velut ad Ep. I 6, 65: '*indolentiam, quam Graeci ἀπονίαν nominant*'; ad Ep. I 8, 10: '*arcere veterno] ληθαργίᾳ*'; ad A. P. 40: '*potenter' figuravit ὡσεὶ δυνατῶς*'; ad A. P. 103: '*calamitates —, quod Graeci ἀτυχήματα vocant*'; ad A. P. 437: *simulatores eos et μύδρονας*[2]) *appellamus qui benigne inrident*'; ad c. II 1, 25: '"*impotens' autem, id est ἀδύνατος, 'sine virtute' intellegendum.*' — Quae si consideramus, concedendum est Porphyrionem non solum Graecam linguam optime novisse, verum etiam frequentissime in commentariis adhibuisse, ex quo veri simillimum fit eum Graeca vocabula non Latinis sed Graecis semper litteris scripsisse, praesertim cum in codice M, qui optimus habetur, saepenumero modo Latina modo Graeca forma sine certa ratione extet.[3]) Itaque non dubito quin omnibus locis, ubi vocabula Graeca Latinis scripta sunt litteris, Graeca scriptura restituenda sit[4]), exceptis fortasse iis, quae iam ante Porphyrionem a scriptoribus ex Graeca lingua saepius usurpata esse scimus. Cum autem illa varietas scribendi non Porphyrioni, sed librario tribuenda esse videatur, illis vocabulis, quae modo

1) Symbol. Phil. Bonn. p. 491.

2) Cf. Keller l. c.

3) Cf. ad S. I 4, 1 et 7, ubi '*archaeas*' et '*ἀρχαίας*' scriptum videmus.

4) Cf. Pauly, progr. gymn. Eger. 1877, p. 2.

significavi, nulla vis inest ad definiendam Porphyrionis aetatem. Quin etiam suspicari possumus a commentatore nostro pro: *allegorice, amphibolice,* quoniam saepius leguntur: ἀλληγορικῶς, ἀμφιβολικῶς Graecas formas scriptas fuisse, illa autem vocabula inferiore demum aetate in Latinam formam commutata esse.[1])

§ 8. Quibus seiunctis quae restant consideremus. Ac primum quidem in iis videmus voces incertas, quas aut corruptas aut vulgari sermoni tribuendas esse viri docti censuerunt. Velut ad S. I 8, 48: *galericum* (*'galericulum'* Meyerus in editione emendavit; cf. Suet. Oth. c. 12; Martial. 14, 50)[2]); ad c. II 17, 22: *perfulget* (ubi Urba ipse dubitat num *'praefulget'* scribendum sit; cf. Hirschfelder. Ann. Burs. 1888, II p. 93); ad Ep. I 20, 20: *cynice* (Paulyus optime ut mihi videtur, emendavit: *ingenue;* cf. progr. 1877, p. 16); ad c. I 13, 14: *cruciabili* (Petschenigius coniecit *'cruda bili'*, cf. Ephem. gymn. Austr. 1876, p. 722; cf. Pauly. 1877, p. 30); ad Ep. II 2, 197: *defruaris* (*M*: *res fruaris,* ubi Paulyus, progr. 1876, p. 63: *'res'* ex *'-mis'* in *plurimis* dittographia ortum censuit). Vulgari sermoni Kellerus[3]) tribuit haec: ad Ep. I 14, 22: *peculius* (Meyerus, edit.: *facilius;* Hauthalius, edit.: *peculiarius;* Paulyus 1876, p. 45: *speciosius;* Hirschfelderus, Ann. Burs. 1888, II p. 32: *paene celerius;* Vulg.: *potius*); ad S. I 4, 126: *timefacit* (voc. 'timefactus' extat apud Lucr. 2, 44 et Cic. de off. 2, 24); ad A. P. 437: *simiatores* (C. Hermannus apud Hauthalium: *'simulatores'* emendavit quod Meyerus in editionem recepit); ad c I 8, 1: *reses* c. gen.; ad S. I 2, 129: *imitativus* (nisi fortasse Porphyrio hic vocabulo: μιμητικός usus est; cf. ad S. I 4, 14); ad ep. 8, 18: *praefascinandis* (Meyerus in editione: *prae fascinandis*); ad S. I 4, 9: *tempusculum.*

Ipse Urba sermoni plebeio adscribit haec[4]): ad Ep. II 2, 191: *heredipeta;* ad Ep. I 7, 73: *inescare.*

§ 9. Iam reliqua sunt ea vocabula, quae apud scriptores s. IV vel. V primum leguntur: *absolute,* passim (cf. Meyeri ind., Priscian.); ad S. I 10, 46: *consummate* (Georg.: Eccl.; adiectivum 'consummatus' iam extat apud Columellam, cf. Forcellini s. v.); ad S. I 3, 17: *adverbialiter* (Charis., Diomed., Priscian.); ad c. III 13, 9 et ad S. I 6, 126: *canicularis* (Pallad., Schol., Acron., Veget., Sidon.); ad c. III 5, 18: *desuadere* (= dissuadere; Augustin.

1) Idem fortasse valet de voce: *satyrice;* cf. *satyricos* ad Ep. I 18, 19.
2) Verba *'id est galericum'* inferiore demum aetate addita esse videntur.
3) l. c. p. 496.
4) l. c. p. 28.

serm. 171, 2 ed. Mai; fortasse sermoni vulgari tribuendum); ad S. I 6, 68: *discretio* (Chalcid., Vulg., Pallad., Amm., Mar. Vict.); ad Ep. II 1, 171: *incongrue* (Macrob., Augustin., Serv.); ad S. I 10 in.: *inculpatus* (= culpatus; Boeth.); ad c. III 4, 5, ad ep. 16, 15, ad S. I 10, 53, ad c. I 24, 8: *interrogativus* (Priscian., Diomed., Isid.; adverbium 'interrogative' iam legitur apud Tertull. adv. Macr. 4, 41); ad Ep. II 2, 214: *moraliter* (Donat.; ἠθικῶς?); ad c. IV 5, 15: *participialiter* (Fest.); ad c. I 35, 38: *refabricare* (Cod. Iustin.; fortasse verba: '*id est 'refabrices''* interpolata sunt); ad S. I 2, 83: *reprehensibilis* (Lact., Ambros., Hier., Vulg., Salv.); ad c. III 25, 3: *subiunctivus* (Charis., Diomed., Priscian.); ad c. III 16, 34: *veteresco* (Eccl., Cass. Felix; fortasse vulgari sermoni tribuendum); ad c. II 15, 9: *voluptuosus* c. subst. (Hier., Sidon.; cf. Plin. ep. III 19, 2, ubi absolute dictum est); ad S. II 3, 228: *commanent* (Macrob., Augustin.; Paulyus 1876, p. 40, scripsit: *commorantur*); ad Ep. I 13, 10: *devoratrices* (Vulg.); ad S. II 7, 104: *percontative* (Donat., Charis.).

Accedunt pauca quae apud alium scriptorem non leguntur: ad S. II 1, 22: *compellator* (vulg. serm.?); ad ep. 7, 11: *dispariter* (a Porphyrione fictum?); ad Ep. I 16, 60: *larvea* (nisi fortasse scribendum est: '*Laverna] Larvarum dea quae furibus praeest*'[1])); ad A. P. 281: *maledicacissimum;* ad c. III 4, 75: *superardeat* (Petschenigius emendavit '*semper ardeat*', cf. Eph. gymn. Austr. 1879, p. 804).

Haec exempla non ita multa qui perlustraverit, facile mihi concedet, non sufficere ad definiendam Porphyrionis aetatem, partim quia ipsa non ita certa sunt partim quia sicut a s. IV, ita s. III scriptore adhiberi potuerunt, praesertim cum ille frequentissime sermone vulgari usus sit.

§ 10. Quid autem ei opponemus qui contendet his exemplis satis inesse momenti? Concedemus illi commentarios Porphyrionis quales ad nostram pervenerunt aetatem, formam quam nunc praebent non ante quintum saeculum adeptos esse, sed Porphyrionem brevi ante hoc tempus vixisse inde minime sequitur. Nam iamdudum viri docti commentarios illos non integros aut plenos nobis traditos esse intellexerunt. Velut G. Fabricius in praefatione editionis quae Basileae a. 1555 prodiit scripsit: '*Verum utriusque* (sc. Porphyrionis et Acronis) *libri adhuc sunt mutili; desideratur enim narratio Porphyrionis de vita Horatii; cuius ipse mentionem*

1) Cf. G. Goetz, Ind. Ien. 1887, p. 8.

ad Sermones facit, libri primi Sat. sexta; desiderantur Graeca epigrammata quae ab eodem commentatore aliquoties adducuntur et plurima fortasse alia.'

Deinde Suringarius[1]): '*Sed cum constet Porphyrionis non minus quam Acronis Commentarios multis locis interpolatos esse, cavendum videtur, ne istis quae fortasse ab aliena manu in Porphyrionis Commentarium intrusa sunt, plenissima fides habeatur*' et[2]) '*Itaque si quis parum considerate plenam istis scholiis fidem habeat, periculum est, ne interdum nubem pro Iunone amplectatur, temereque hos scholiastas post Priscianum floruisse contendat: quo tamen uterque sine dubio fuit antiquior*' et[3]) '*Itaque cum haec horum Scholiorum ratio sit, ut omnino incertum videatur quid ipsi Scholiastae scripserint, quid ab impostorum manibus additum sit, sane iniuriam faciemus Acroni et Porphyrioni, si ipsis imputare velimus quod in hisce Scholiis passim vocabula reperiuntur, quae vel plane ignoravit Romana lingua vel a sequiorum tantum temporum scriptoribus usurpantur.*' Cf. etiam Useneri 'De Scholiis Horatianis' commentationem (Bern. 1863, p. VIII) et Kiesslingii 'De personis Horat.' comment. (p. 6) et Meyeri libellum (progr. Monac. 1870) 'Beiträge z. Kritik d. Horazscholiasten Porphyrion' passim.

§ 11. Atque quo melius quomodo per saecula Porphyrionis commentarii mutilati ineptisque additamentis aucti sint intellegatur, iam paucis historiam, ut ita dicamus, illorum commentariorum persequamur. Videtur Porphyrio interpretationes suas in codicis margine adscripsisse, ut ex scholio ad S. I 9, 52 concludi potest, ubi haec sunt: '*ne necesse sit frequenter ostendere quis quae verba habeat aut unde incipiat loqui, hoc observandum est: deinceps et supra [et] ubi duo puncta interposita sunt alteram personam loqui intellegas. ceterum*[4]) *iam sensus ipse docet, quid Horatius quid ille molestus dicat.*' Tum inde ab ineunte fere sexto saeculo commentarii interpolationibus aucti[5]) paulo ante saeculum nonum[6]) collecti et coniuncti esse videntur, sed ab

1) Hist. critic. scholiast. Latin. T. III p. 9.

2) l. c. p. 27.

3) l. c. p. 58.

4) M: *certe;* Pauly. 1877, p. 6 optime emend.: *ceterum.*

5) In scholiis Horatianis quae sub Acronis nomine feruntur, qualia extant in cod. Paris. 7900 A, quinto fere saeculo conscriptis, nonnulla servata sunt ex Porphyrione desumpta, in quibus interpolationes non reperiuntur. Sed de hac re infra uberius disputabimus.

6) Cf. Kiessling. l. c. p. 6.

homine qui mirum est quantam praestiterit neglegentiam atque ignorantiam. Nam cum Porphyrionis interpretationes codici illi Horatiano sive in margine adscriptae sive inter versus positae essent, primum miram quandam perturbationem scholiorum effecit; deinde lemmata, ubi quidem a Porphyrione scholiis non erant praeposita, saepius perperam ipse adscripsit.

Id quoque ei fortasse vitio vertendum est, quod commentarii ad Sermones et Epistulas '*languescente sensim sub finem operis excerptoris studio*' haud integri magna scholiorum parte omissa ad nos pervenerunt. Quod ad scholia ad Serm. II 3 et II 6 attinet, quorum magna pars interiit, hoc fortasse non excerptoris culpa factum est, sed propter defectum illius codicis Horatiani, ex quo scholia Porphyrionea in unum quasi corpus coacta sunt. Hoc fere modo archetypus Porphyrionis ortus esse videtur, ex quo codex Monacensis (M), s. X scriptus, derivatus est; atque iterum commentarii mutilati atque depravati sunt stultitia et levitate librarii, qui haud raro a vocabulo quodam ad simile transiliens quae interposita erant omisit, aut ad superiorem vocem rediens eadem quae modo scripserat iterum posuit aut ex iis quae non intellegebat mutando nova vocabula sibi nota confecit, denique cuiusvis generis vitia intulit. Qui deinde s. XIV et XV ceteros codices, quibus Porphyrionis commentarii continentur, scripserunt, saepenumero suo arbitrio vitiosos corruptosque locos codicis Monacensis emendaverunt.

§ 12. Itaque cum commentarii quos nos habemus propemodum alii sint aut certe longe abhorreant ab iis quos Porphyrio scripsit, fieri non potest, ut ex iis aliquid eliciamus ad definiendam auctoris aetatem, nisi antea pristinam illorum formam restituerimus, id est quae ab aliena manu addita sive mutata sunt deleverimus et emendaverimus, quae interierunt quoad potest fieri indagaverimus.

Iam ii qui Porphyrionis commentarios publici iuris fecerunt, Paulyus, Hauthalius, in primis G. Meyerus operam dederunt, ut quae interpolata cognovissent, delerent; tamen factum est ut in novissima editione quam habemus Meyeri permulta delenda superessent. Itaque idem Paulyus qui a. 1858 Porphyrionem cum scholiis Pseudacronianis ediderat, Petschenigius, vir de Porphyrionis commentariis emendandis optime meritus, alii commentationibus corruptelis illis mederi conati sunt.

§ 13. Dubium esse non potest, ut supra exposuimus, quin Porphyrio saepissime Graecis vocabulis usus sit easque Graecis quoque litteris scripserit. Saepenumero autem factum est, ut a

sciolo quodam quarti[1]) fortasse vel sequioris saeculi homine his Graecis vocabulis Latina interpretatio adderetur, sive quod metuebat, ne qui Porphyrionis commentarios legerent, sensum Graecorum vocabulorum iam non intellegerent, sive quod sua ipsius doctrina — quanquam satis exigua — excellere volebat: quomodo saepius summae ineptiae in commentarios penetraverunt. Velut ad S. I 10, 21: '*o seri studiorum] ὀψιμαθεῖς id est qui vultu docti sint*'[2]); ad c. IV 2, 50: '*nota figura est, ut 'Pars in frusta secant' et ''Ὡς φάσαν ἡ πληθύς' hoc est, ut dicebant plures*'.[3]) Alia eiusmodi exempla haec sunt: ad c. I 3, 9: '*habet autem hic quiddam Homericum: Χάλκεον δέ μοι ἦτορ ἐνείη id est ferreum pectus*'[4]); ad c. I 13, 4: '*iecur' pro corde ἀφελῶς id est simpliciter*'[5]); ad c. I 17, 7: '*subtilis et tenuis λιτότης est σχῆμα* ....'[6]); ad c. I 37, 30: ... *nam et Titus Livius refert, illam* (sc. Cleopatram) *cum de industria ab Augusto in captivitate indulgentius tractaretur idemtidem dicere solitam fuisse*: Οὐ *θριαμβεύσομαι id est non triumphabor ab alio*'[7]); ad c. II 1, 1: '*in parecbasi id est in translatione*[8]) *bellorum civilium calamitatem refert*'[9]); cf. deinde ad c. II 1, 17; c. II 1, 25; c. II 1, 37; c. II 6, 14; c. II 7, 25; c. II 8, 11; c. II 12, 28; c. II 15, 18; c. III 1, 27; c. III 5, 6; c. III 27, 66; c. IV 8, 6; c. IV 8, 31; c. IV 11, 11; c. IV 11, 29; c. IV 14, 20; ad ep. 2, 33; 5, 37; 47; 101; 16, 37; 59; ad S. I 2, 132; I 5, 46; I 8, 39; ad Ep. I 6, 38; I 17, 46; I 17, 61; I 18, 16; II 1, 187; II 1, 214; ad A. P. 42.

§ 14. Per tempora deinde evenit, ut nonnullis locis voces Graecae, quae tali modo explicatae erant, omitterentur, explicationes vero, quae antea in margine sive inter versus adscriptae erant, in Porphyrionis verba irreperent, cuius generis sunt haec: ad c. II 1, 17: '*per quod significat vim eloquentiae Pollionem idem otiosum in relatione pugnarum inducere*'. Illud '*idem (= id est) otiosum*' est explicatio Graeci vocabuli *ἐνεργόν* quod hic excidit; comprobatur hoc cum forma: *otiosum*, pro qua: *otiosam* sc. vim expectandum

1) Cf. huius disputationis p. 175.
2) Hoc delevit Petschenig. 1872, p. 18.
3) Del. idem 1873, p. 9.
4) Del. idem 1872, p. 16.
5) Del. idem 1872, p. 16.
6) Del. idem, ephem. gymn. Austr. 1874, p. 342.
7) Del. Pauly. 1876, p. 9; cf. Meyer. praef. p. VII.
8) '*in transitione*' Stowasser. Stud. Vindob. 1890, p. 127.
9) Del. Pauly. 1877, p. 32.

erat[1]), tum multis similibus locis, velut ad S. I 2, 132: '*ἐνεργῶς hoc est otiose*'; ad c. II 12, 28: '*et totum hoc otiositate mira energia expressum est*'; ad c. IV 11, 11: '*non otiosum ἐνεργῶς dictum est*'.

Deinde ad ep. 7, 15 in M legimus: '*elegans otiositas*', ubi manifestum est scribendum esse: '*elegans ἐνέργεια*'; ad ep. 11, 7: '*hoc autem quasi iuxta se positum inlatum est*', ubi sch. ad c. III 10, 18 docet emendandum esse: '*hoc autem de parenthesi inlatum est*'[2]); ad S. I 1, 1: '*signate autem locutus est dicens: 'ratio dederit, fors obiecerit''*, ubi Paulyus[3]) scripsit: '*δεικτικῶς autem locutus est et q. s.*'; idem valet de scholio ad Ep. I 16, 52.

§ 15. Venimus ad tertium genus mendorum quo Porphyrionis commentarii fucati sunt; saepe enim glossemata vel interpretationes Latinis verbis adscripta quae primo iuxta posita, cum scholia in unum corpus cogerentur, inter ipsius Porphyrionis verba recepta sunt. Longum est hic omnia haec menda enumerare, cum fere una quaeque pagina unum vel nonnulla praebeat; satis est pauca quae notam spuriae originis prae se ferunt exhibere. Ad c. I 28, 30: '*in eos, qui ex te nati sunt, id est in filios tuos*'[4]); ad c. II 4, 22: '*octo enim lustra octo quinquennia*[5]), *quadraginta annos scilicet*[6]), *cludunt, ...*'; ad c. II 6, 14: *Hymettos mons est Atticae id est in Attica, ubi optimum mel nascitur*'[7]); ad c. II 6, 11: '*Phalanthus Lacedaemonius fuit, quo auctore et principe Partheniae Spartani Tarentum condiderunt*'[8]); ad c. II 15, 8: '*quae oliveta sub priore domino id est sub prioribus temporibus colebantur et idcirco fertilia erant*'[9]); ad c. III 25, 3: '*in quo et ἐπεξήγησις figura adnotanda, quia praedicto 'specus' 'antra' subiecit, hoc est qui specus antra sunt*'; ad S. I 5, 12: '*verba sunt nautae irascentis, quod plura navi inponat quam pepigerat id est: pactus fuerat*'[10]); ad S. II 1, 20: '*et sensus: non audit adulantem, quia sapientia undique munitur id est in omni rerum*

1) Cf. Meyer. p. 47 v. 18, ubi '*otiosam*' scripsit.
2) Cf. Urba l. c. p. 24.
3) 1876, p. 23.
4) Del. Pauly. 1876, p. 8.
5) Del. Petschenig., Eph. gymn. Austr. 1874, p. 343.
6) '*Scilicet*', del. Pauly. 1876, p. 11 ex : annosclscludunt (?).
7) Del. Petsch. 1872, p. 16.
8) Del. Pauly. 1876, p. 12.
9) Del. idem 1876, p. 14.
10) Del. Petsch. 1873, p. 11.

studio, hoc est omnia novit'[1]); ad S. II 3, 35: '*sapientem non quasi ipsum sapientem, sed barbam sapientem iussit me pascere id est nutrire'*[2]); ad S. II 3, 228: '*— ubi harum rerum mercatores id est unguentarii consistunt'*[3]); ad S. II 3, 281: '*ab Augusto enim lares id est dii domestici in compitis positi sunt ...'*[4])

His locis et compluribus aliis nullo negotio dicas, quae ab aliena manu addita sint, ut nihil facilius videatur quam haec eicere; quo magis miror quod Meyerus quanquam in praefatione editionis suae aliquot locos eius generis emendandos commemoravit, tamen in contextu verba interpolata non semel inmutata recepit. Itaque qui proximam Porphyrionis editionem curabit, is inprimis operam dare debet, ut ea quae Porphyrionis non sunt, eiciat, quo planius ipsius scholiastae verba agnoscantur.

§ 16. Ne de mendis librariorum loquar, duae praeterea res sunt, quibus ipsa Porphyrionis verba inquinata sunt. Primum enim nonnullis locis ad eadem Horatii verba interpretanda duo extant scholia, quorum alterum Porphyrionis esse nequit; sed plerumque non difficile est dignoscere quid scholiastae sit, quid a sciolo homine sequioris aetatis additum. Velut ad c. II 5, 6: '*Nunc fluviis gravem solantis aestum.] elegantius dici non potest, quam hoc dicitur 'fluviis gravem solantis aestum', quod significat: refrigerantis. — Solantis aestum.] solans aestum pro refrigerante gratissime dicitur.*' Hic videtur prius scholion eiciendum, quod nihil est nisi exornatio sequentis scholii; deinde veri simile non est Porphyrionem hic voce '*elegantius*' usum esse, cum paulo ante scripsisset: '*eleganter quasi de iugo ferendo loquitur*'.[5]) — ad c. I 17, 21: '*Lesbii.]*[6]) *antonomasia. non enim vini dixit. — Hic innocentis pocula Lesbii] id est lenis et minime caput onerantis. Lesbii autem vini intellegendum: a Lesbo insula.*' Hoc scholion non modo interpolatione amplificatum, verum etiam perturbatum esse videtur, quare hoc modo restituendum puto: '*hic innocentis pocula Lesbii.] ⟨innocentis⟩ id est: lenis et minime caput onerantis. 'Lesbii' ⟨autem⟩ antonomasia. non enim 'vini' dixit. — Lesbii autem vini intellegendum: a Lesbo insula.*' Verba: '*Lesbii—insula*'

1) Del. Pauly. 1876, p. 36.
2) Del. Petsch. 1873, p. 11.
3) Cf. Meyer. adnot.
4) Del. Petsch. 1872, p. 18.
5) Cf. Pauly. 1876, p. 12.
6) Meyer.: *Lesbii* om. *M.*

interpolata et idcirco delenda videntur. Cf. S. I 7, 1, ubi Meyerus iam verba: '*hoc—appellat*' et haud iniuria, ut videtur, delevit[1]), et ad Ep. I 1, 62, ubi ad verba: '*haec lex Roscia equitibus data est, ut in primis XIIII gradibus sederent eorum ii, qui* ꟗ *CCCC haberent*', Meyerus recte adnotavit: '*a Porphyrione aliena videntur.*'[2])

§ 17. Deinde saepius in initiis scholiorum ad singula carmina breves titulos invenimus, qui cum in illo codice Horatiano, cui scholia Porphyrionea primum adscripta erant, singulis carminibus antepositi essent, id quod nunc quoque in plerisque codicibus Horatianis videmus, ab indocto illo homine, qui scholia excerpsit, in Porphyrionis commentarios recepti sunt. Hi autem ea de causa Porphyrionis esse non possunt, quod non in omnibus, sed in nonnullis tantum carminibus extant, deinde quod eis quae certe Porphyrioni tribuenda sunt, interdum repugnant, cuius rei optimum exemplum attulit Meyerus in praefatione p. IX: '*scholio S I 9, 60 Aristius Fuscus praestantissimus grammaticus illo tempore et amicus Horatii fuit*' *convincitur inscriptio E I 10, 1* '*ad Aristium Fuscum scriptorem comoediarum.*'

§ 18. His quos modo enumeravi locis quae insit corruptela et quomodo emendari possit, satis facile plerumque cognoscitur; sed alii reperiuntur loci quos corruptos esse videmus, quae autem Porphyrionis sint, quae a posteriore manu addita minus facile diiudices. Quod ut demonstretur satis est unum afferre exemplum luculentissimum. Extant enim ad c. III 3, 46 in optimo codice M haec: '*Gaditanum mare fretum significat; inde enim discerni incipiunt Europa et Libya.*' Apparet verba: '*Gaditanum mare fretum*' non esse integra, quod iam ii cognoverant, qui ceteros codices Porphyrionis s. XIV et XV scripserunt, cum vocabulum '*mare*' glossema existimantes ad id quod sequitur '*fretum*', omisissent. Tum Hauthalius in editione: '*mare* ⟨*sive*⟩ *fretum*', Meyerus in editione: '*mare* ⟨*et*⟩ *fretum*', Paulyus (1876 p. 16): '*mare* ⟨*vel*⟩ *fretum*' scribendum putaverunt; sed eos locum non emendasse iam sensus docet. Rectius fecisse videntur qui alterum vocabulum inferioris aetatis additamentum rati eiciendum censuerunt. Atque Petschenigius[3]) vocem '*fretum*' ut glossam marginalem deinde in Porphyrionis scholion receptam tollendam arbitratus est; at contra Urba[4]) non dubitat, quin verbum '*mare*' pro glossemate

1) Cf. Petsch. 1873, p. 11.
2) Cf. Petsch. 1872, p. 18.
3) Eph. gymn. Austr. 1879, p. 804.
4) l. c. p. 25.

habendum sit, quo indoctus quidam magistellus explicaturus erat vocem '*fretum*'.[1]) Vtriusque sententia per se bene ferri potest; utram igitur probemus? — Quam difficultatem solvere non possumus, nisi aliunde auxilium arcessimus. Itaque sequentibus demonstraturus sum viam qua illam difficultatem tolli posse spero.

§ 19. Si cuius scriptoris libros, qui nobis non integri traditi sunt, auxilio non ex ipsis petito restituere possumus, aut fontes quos ille scriptor adiit inspicere aut scriptores qui illum excerpserunt perquirere debemus. Hoc si in Porphyrionis commentarios transferimus, ut fontes eius adeamus nobis non continget, quippe cum Helenii Acronis, Terentii Scauri, Clarani, aliorum opera, quibus ille usus est, interierint; scripta autem ad nos pervenerunt, in quibus multa ad Porphyrionem auctorem spectant. Habemus enim in nonnullis codicibus Horatianis 'expositiones in Horatii carmina', quae '*Italorum saeculi XV liberalitate Acronis nomine nobilissimo ditata sunt.*'[2]) Iam Kellerus[3]) animadverterat eas expositiones, quas codex Horatii Parisinus 7900 A s. IX praebet, propriam atque vetustissimam eorum scholiorum Pseudacronianorum esse recensionem, quam ab uno auctore initio fere saeculi V esse conscriptam contendit.[4]) Quae reliquis continentur codicibus scholia, ea Kukula[5]) in duas recensiones discernere atque quo quaeque orta sit tempore angustioribus finibus circumscribere conatus est; quam sententiam, cum admodum incerta sit[6]), hic omittamus, et hoc dixisse satis habemus, duas recensiones ex magna illa scholiorum multitudine eminere eam quam cod. Par. 7900 A praebet quaeque quinto fere saeculo tribuenda est, deinde eam recensionem quam exhibet cod. Parisin. 7975 γ, quam post illam compositam esse constat.[7])

§ 20. Proximum est ut de origine atque natura illius vetustioris scholiorum recensionis, — nam de hac praecipue agendum erit — disputemus, sed ne longi simus, quae Kellerus et Kiesslingius[8]) de hac re exposuerunt, paucis comprehendamus.

1) In glossis velut in libro glossarum frequenter 'fretum' per 'mare' explicatur, velut: *freta: maria angusta — fretu: mare non latum.*

2) Kiessling. l. c. p. 5.

3) Symbol. phil. Bonn. p. 499, adnot. 59.

4) Cf. Keller. Epilegomena ad Horatium, p. 797.

5) De tribus Pseudo-Acron. scholiorum recensionibus 1883.

6) Cf. Sittl. in Ann. Burs. 1885, II p. 49/50 et Kurschat. in progr. gymn. Tilsit. 1884, p. 4.

7) Cf. Petschenig. 1873, p. 5, adnot. 14.

8) l. l. c. c.

'*Superstruxit*' ille qui expositiones cod. 7900 A composuit '*adnotationum molem Porphyrionis fundamento, sed praeterea aliunde quoque exilem suam doctrinam locupletare vel potius turpem qua insignis est notissimarum rerum ignorationem obtegere studuit.*' Et plus centum locis[1]) scholia A, ut ea breviter appellamus, ad Porphyrionem spectant, quanquam huius verba plerumque non prorsus integra praebent. Fieri potuit ut ab homine sequioris aetatis Porphyrionis verba ita ut mox demonstrabitur mutarentur, veri autem similius est hoc iam ab eo factum esse qui auctor vetustissimorum scholiorum Pseudacronianorum est. Quae scholia quod non ad omnia Horatii carmina usque ad finem epistularum nobis extent, valde dolemus; nam ceteris longe praestant, et incertum est utrum morte auctor prohibitus sit quominus ad finem opus perduceret an iniquitate temporum ea pars, quae ab epodon c. 15 usque ad finem epistularum pertinet, interierit.

§ 21. Ea ergo scholia A quae nobis servata sunt, ubi ad fontem Porphyrionem spectant, quanquam plerumque, ut supra commemoravimus, Porphyrionis verba integra non exhibent, tamen nonnulla extant, quae prorsus cum Porphyrione congruunt. Pauca hic sufficiant exempla.

ad c. III 25, 5. Porph.: '*aeternum meditans decus.] consecrationem dicit.*' — Acro A[2]): '*decus.] consecrationem dicit.*'[3])

ad c. III 26, 2. Porph.: '*et militavi non sine gloria.] allegoricos militiam nunc amorem vocat.*' — Acro A: '*et militavi.] allegoricos militiam nunc amorem vocat.*'

ad c. III 29, 18. Porph.: '*iam Procyon furit.] stella est, quae ante Caniculam oritur.*' — Acro A: '*iam Procyon f.] Stella, quae ante caniculam oritur.*'

ad c. IV 6, 35. Porph.: '*Lesbium servate pedem.] id est: Alcaei lyrici poetae, qui Lesbius fuit.*' — Acro A: '*Lesbium.] Alcaei lyrici poetae, qui Lesbius fuit.*'

ad c. IV 8, 19. Porph.: '*clarius indicant laudes quam Calabrae Pierides.] facta, inquit, clarorum virorum nisi carminibus inlustrentur aetatis suae memoriam non excedunt.*' — Acro A: '*Calabrae P.] facta, inquit, clarorum virorum nisi carminibus inlustrentur aetatis suae memoriam non excedunt.*'[4])

1) Keller. Symbol. phil. Bonn. p. 501, adnot. 71.
2) Sic auctorem scholiorum A brevitatis causa appellemus.
3) Hauthalius in adnot.: *Porph.*
4) Quae secuntur, Porphyrionis non sunt.

§ 22. Deinde ubi scholia Porphyrionis apud Acronem A mutata invenimus, primum synonyma ab Acrone pro vocabulis Porphyrionis posita videmus, velut:

ad c. I 29, 13. Porph.: '*cum tu coemptos undique n. l. P.] Panaetius Stoicus philosophus fuit praeceptor Scipionis Africani et Laelii, genere Rhodius.*' — Acro A: '*Nobilis libros Panaeti.] Panaetius stoicus philosophus fuit praeceptor Scipionis Africani et Laelii, Rhodius natione.*'

ad c. I 32, 13. Porph.: '*o decus Phoebi.] lyram dicit decus Phoebi.*' — Acro A.: '*o decus Phoebi.] lyram dicit esse Apollinis decus.*'

ad c. III 11 in. Porph.: '*Mercuri, nam te docilis m.] Mercurium invocat lyrae inventorem petens, ut inspiret sibi modulationem dignam auribus Lydes amicae. ordo est autem: Mercuri dic modos quibus Lyde obstinatas applicet aures.*' — Acro A: '*Mercuri.] Mercurium lyrae invocat repertorem, ut inspiret sibi modulationem dignam auribus Lydes amicae. Ordo autem hic est: Mercuri dic modos quibus Lyde obstinatas aures adplicet.*'

§ 23. Saepenumero verba: *dicere, significare, appellare* inter se commutantur: cf. ad c. I 18, 11; similiter res se habet de verbis: *solere, consuevisse:* cf. ad c. II 11, 23; *ostendere, demonstrare:* cf. ad c. II 16, 11. — Praeterea Acro A haud raro '*dum*' scripsit, ubi Porphyrio '*cum*' habet: cf. ad c. I 20, 5. Aliud genus huius levissimae mutationis iis locis extat, ubi alter verbum simplex, alter verbum compositum scripsit: cf. ad c. I 20, 5. — Saepissime deinde constructio verborum leniter mutata est ab Acrone A velut: ad c. I 30, 7: '*sciendum*' pro: '*scire debemus*'; ad c. III 7, 19: '*subauditur*' pro: '*subaudiendum*'; ad c. III 26 in.: '*videri vult*' pro: '*videtur*'; aut Acro A vocem '*ait*', '*dicit*' et talia interiecit. Sed haec omnia non magni momenti sunt. Ampliores deinde commutationes sunt eae, ubi aut nonnulla addita aut omissa esse videntur. Huc spectant plurima eorum scholiorum, ubi Porphyrio Acronis A fons fuit. Satis est pauca afferre exempla quibus quod modo diximus manifestum fiat.

ad c. I 18, 11. Porph.: '*non ego te candide B.] a genere vestis Liber Bassareus appellatur, unde et ipsae Bacchae Bassarides appellantur.*' — Acro A: '*Bassareu.] Bassareus dictus est Liber pater a genere vestis Baccharum, unde et Bacchae Bassarides dictae.*'

ad c. I 24 in. Porph.: '— —. *sensus autem est: da mihi*

praecepta carminis, o Musa, ut ostendam, quis modus desiderii esse debeat carissimi amici.' — Acro A: '— —. *Sensus autem: Da mihi praecepta carminis, o Musa, quibus ostendam, quis modus desiderii esse debeat carissimi sodalis aut amici.'*

ad c. I 25 in. Porph.: '*Parcius iunctas quatiunt f.] haec ode in meretricem rapacem sed iam vetulam et merito ab amatoribus passuram quae fecerat scripta est; sensus autem: iuvenes, qui olim frequentius fenestras tuas lapidibus incessebant, ut excitata somno ianuas aperires, iam te neglegere incipiunt et idcirco haec rarius faciunt.'* — Acro A: '*In Lydiam meretricem rapacem sed iam vetulam scribit meritoque ab amatoribus passuram quae fecerat. Sensus autem est: Iuvenes qui olim fenestras tuas lapidibus incessebant, ut excitata somno eis aperires, iam te neglegere incipiunt et idcirco hoc rarius faciunt.'*

§ 24. Crebro denique scholia, quae Acro A ex Porphyrione deprompsit, ab illo aucta et amplificata sunt, rarissime autem ea quae in commentario Porphyrionis, quem codices nobis praebent, non leguntur, ad plenius Porphyrionis excemplum referenda videntur. Quibus fortasse haec tribuenda sunt:

ad c. I 16, 15. Porph.: '*et insani leonis vim stomacho a. n.] belle de fabula sensus praesenti intentioni necessarius conceptus est. ait autem Prometheum limo homines fingere iussum ex omnibus animalibus particulas homini adponere vim leonis stomacho adposuisse; idcirco iracundia magis nos incendi quam ulla alia animalia.'* — Acro A: '*belle de fabula sensus praesenti intentioni necessarius conceptus est. Aiunt autem Prometheum cum limo hominem fingeret, iussum ex omnibus animalibus particulas, prout erat eorum natura, homini adponere vim leonis stomacho adposuisse, idcirco quod iracundia magis accendamur.'*

Videmus eadem paene verba apud utrumque commentatorem, et, si Porphyrionem non ut Meyerus interposito '*et*', sed ex Acrone A ita emendamus, ut scribamus: '*Prometheum* ⟨*cum*⟩ *limo homines fingere*⟨*t*⟩ —, tantopere haec duo scholia excepta extrema particula inter se congruunt, ut putare liceat etiam verba '*prout erat eorum natura*' Porphyrionis esse, quanquam concedere debemus ea non valde desiderari.

ad c. II 14, 26. Porph.: '*superbo' autem pro ipse superbus.'* — Acro A: '*superbo pro ipse superbus. ὑπαλλαγή figura.'* — Hanc adnotationem Acro A ex Porphyrione sumpsisse videtur, ubi, cum iam non extet, restituenda est. Cf. ad c. I 2, 48: '*ocior aura tollat.] pro 'ocius tollat'; σχῆμα ὑπαλλαγή.'* Cf. deinde

ad c. I 7, 22; ad c. I 15, 31; ad c. I 23, 5; ad S. I 4, 79; ad Ep. II 2, 81.

Deinde Meyerus duo scholia Porphyrionis, quae in codicibus mutilata sunt, ex Acrone A refecit: ad c. III 16, 8 et c. III 19, 22.

§ 25. Ex iis quae attuli exemplis facile cognosci potest, quae intercedat ratio inter Porphyrionem et Acronem A. Restat, ut eos locos addam, ubi Acro A Porphyrionis commentariis aliquo modo usus esse mihi videtur, quos quidem supra nondum commemoravi: ad c. I 10, 17; 15, 31; 17 in.; 18, 9; 20, 5; 22 in.; 22, 13; 25, 6; 25, 11; 28 in.; 28, 9; 29 in.; 29, 14; 29, 15; 30 in.; 30, 5; 30, 7; 31 in.; 31, 3; 31, 7; 31, 9; 31, 10; 32 in.; 32, 5; 33 in.; 34 in.; 34, 10; 35, 17; 36, 8; 37, 2; 38 in.; ad c. II 1, 3; 2 in.; 2, 11; 2, 17; 7, 6; 7, 22; 8 in.; 11, 22; 11, 23; 12, 7; 13, 23; 13, 26; 14, 4; 15 in.; 15, 17; 16, 11; 16, 19; 16, 22; 17, 19; 18 in.; 18, 26; 18, 38; 19 in.; 19, 7; 19, 9; 19, 17; 19, 18; 19, 29; 19, 30; 20, 16; ad c. III 1, 2; 1, 16; 1, 17; 1, 21; 1, 37; 2, 17; 3 in.; 3, 46; 3, 61; 4, 9; 4, 14; 4, 20; 4, 21; 4, 41; 4, 42; 4, 50; 5 in.; 5, 12; 5, 13; 5, 14; 5, 15; 5, 27; 5, 39; 5, 48; 6, 9; 7, 6; 7, 10; 7, 16; 7, 19; 8, 25; 9 in.; 10 in.; 10, 15; 11, 1; 11, 11; 11, 25; 11, 31; 12 in. 12, 3; 12, 5; 12, 8; 13, 13; 14 in.; 16, 13; 17 in.; 19 in.; 20 in.; 20, 6; 20, 11; 21, 22; 22 in.; 23 in.; 24 in.; 24, 5; 24, 36; 24, 42; 24, 52; 24, 54; 25 in.; 25, 14; 25, 18; 25, 20; 27 in.; 27, 34; 27, 37; 27, 40; 27, 49; 27, 58; 27, 71; 28, 4; 28, 5; 28, 13; 29 in.; 29, 6; 29, 34; 29, 45, 29, 57; 30, 12; ad c. IV 1, 6; 1, 9; 1, 20; 1, 37; 2 in.; 2, 19; 4, 27; 6, 35; 6, 39; 8, 9; 8, 11; 8, 13; 8, 18; 9 in.; 9, 7; 9, 9; 9, 11; 9, 37; 11, 25; 12, 3; 13, 5; 13, 6; 14, 39; 14, 42; 15, 3; 15, 6.

§ 26. Docui quam saepe Acro A in componendis expositionibus suis Porphyrionis commentarios adhibuerit et quanquam concedendum est illas integra Porphyrionis verba non semper exhibere, tamen qui rationem atque naturam illarum mutationum recte perspexerit, sperare potest se aliquid profecturum esse ad emendandos Porphyrionis commentarios scholiis Acronis A adhibitis. Nam hoc negari non potest recensionem cod. A ad pristinam commentariorum formam quam proxime accedere, quippe quae eo tempore illorum fundamento superstructa sit, quo nondum Porphyrionis commentarios depravatos esse putandum est. Ea enim quae apud Acronem A Porphyrionis sunt, non nisi ab ipso Acrone A eo quo supra demonstravimus modo mutata videntur, ut ea quam Porphyrionis commentarii passi sunt corruptio in illis non inveniatur. Pendent

igitur non ab ea commentariorum forma, quam codices Porphyrionis nobis praebent. Itaque si cui Porphyrionis loco medelam adhibere coacti sumus, ad Acronis A scholia, ubi quidem ex Porphyrione emanarunt, primum nos convertamus necesse est.

Quae cum ita sint nostrum est quae invenimus ad usum transferre, quod quomodo fieri possit, exemplis demonstremus nonnullis, quibus Acronis A scholiis adiuti mederi nos posse putamus.

§ 27. ad c. I 28 in.: '*Te maris et terrae n. c.] haec ode prosopop⟨o⟩eia formata est. inducitur enim corpus naufragi Archytae Tarentini in litus expulsum conqueri de iniuria sui et petere ⟨a⟩ praetereuntibus sepulturam. hic autem Archytas Pythagoricus fuit, qui merito geometriae peritus, quia Pythagorici omnia numeris constare credunt.*'

Ac primum quidem scribendum puto: '*haec ᾠδὴ ἐκ τῆς προσωποποιίας formata est.*' (Cf. etiam Comm. Cruq.: Hęc ode ἐκ τῆς προσωποποιΐας . . .)[1])

Apud Acronem A enim extat: '*Haec ode ex prosopopoeia formata est.*' Dubium mihi non est, quin illo tempore, quo pro Graecis Latinae formae scribebantur, in codice aliquo Porphyrionis commentarios continenti scriptum fuerit: '*Haec ode de prosopopoeia formata est*', ubi facillime praepositio '*de*' post '*ode*' excidere poterat.

Deinde in codice M omissum est vocabulum '*dicitur*' quod Meyerus in editione addidit post vocem '*peritus*', quod quomodo exciderit perspicuum non est. Quod ceteri codices illud vocabulum praebent, hoc nullius momenti est, nam saepius vestigia emendationis in iis reperiuntur; minime ex hac re sequitur '*dicitur*' in fonte codicis M fuisse. Ergo videamus, quae Acro A exhibet: '*Qui Archyta Pythagoricus fuit geometriae et asteroscopiae peritus. Pythagorici enim omnia numeris constare dicunt.*' Cum autem Acro A tam arte ad Porphyrionis verba se applicet — exceptis illis levissimis mutationibus: '*Qui*' pro '*hic*'; '*enim*' pro '*quia*'; '*dicunt*' pro '*credunt*' et verbis '*et asteroscopiae*', quae ab Acrone A vel a posteriore manu addita sunt — mirum est, cur vocem '*merito*' Acro A omiserit, nisi illam in Porphyrionis exemplo suo omnino

1) Quanquam Hirschfeldero (Quaest. Horat. specimen Berol. 1862) et Iordano (De commentatore Horatii Cruquiano prolusio Regimont. 1883) concedendum est Commentatore non nisi praecaute utendum esse, tamen prorsus neglegendus non est, quippe qui aut ab ipso Porphyrione et Acrone pendeat aut fundamento exstructus sit, quod ad illorum scholia quam proxime accedit.

non invenit. Itaque non tam alienum videtur putare Porphyrionem sic scripsisse: '*hic autem Archytas Pythagoricus fuit, geometriae peritus, quia et q. s.*' et illud '*qui merito*' per dittographiam quae dicitur ex eo quod sequitur '*geometriae*' ortum esse, quod is qui codicem Porphyrionis descripsit, ex consuetudine sua, qua saepe quae non intellegebat in notam sibi formam redegit, correxit in illud, quod nunc in cod. M est: '*qui merito*', neglegens hac correctione facta deesse aliquid, quod cum ii qui reliquos codices scripserunt sensissent, vocem '*dicitur*' addiderunt. Hic autem id optime elucet, quod iam Meyerus, Petschenigius, Urba contenderunt codicem M plerumque veram praebere lectionem eiusque unius opera Porphyrionis commentarios esse restituendos.[1])

§ 28. ad c. I 29 in.: '*Icci beatis nunc trabum invides gazis.] hanc oden ad Iccium scribit, quem miratur intermisso philosophiae studio repente se ad militare studium contulisse, per quam videtur concupiscere divitias.*' Meyerus propter illud '*militare studium*' pro '*per quam*'; scripsit '*per quod*'. Petschenigius[2]) scribendum censet '*per quae*'; sed utraque coniectura offendor; nam illud '*per quod*' satis firmis argumentis comprobari non potest, et quod Petschenigius proposuit, artificiosius excogitatum videtur esse. Magis mihi arridet Paulyi emendatio[3]), qui illud '*studium*' ex antecedenti '*studio*' ortum putat. Confert enim Acronis A scholion, ubi est: '*Ad Iccium, quem miratur philosophiae intermisso studio repente se ad militarem vitam contulisse cupiditate divitiarum . . .*' Vocabulum '*vitam*' facillime post '*militarē*' excidere potuit; tum qui hoc '*repente se ad militarē contulisse*' intellexit, ex antecedentibus '*studium*' supplevit, quae autem sequebantur: '*per quam*' prorsus neglexit. Quo comprobatur id, quod supra diximus eum qui commentarios descripsit, magna incuria atque neglegentia usum esse et saepius suo arbitrio locos corruptos emendasse.

ad c. I 30, 5: '*et solutis Gratiae zonis.] bene Gratiae nudesisine nudę finguntur, quia amici animos solutos ac nudos inter se habere debent.*' M. — Verba: '*nudesisine nudę*' magnam corruptionem praebent, quadecausa in cod. Paris. 7988 (R apud Hauthalium), quanquam perinepte, scriptum est: '*nudae sine nodis*', in aliis: '*nudae et sine zonis*' legitur. Meyerus in editione,

1) C. Cq.: '*Fuit autem hic Archytas Pythagoricus geometra et asteroscopos, omnia numeris dimetiens.*'

2) Stud. Vindob. 1881, p. 307.

3) 1877, p. 30.

neglegens verba corrupta, scripsit: '*nudae*'. Apud Acronem A haec invenimus: '*Bene autem nudae et solutis zonis Gratiae finguntur, quia amicorum animi soluti secum et nudi esse debent.*' Habemus Porphyrionis scholion, cuius extrema pars ab Acrone A leniter mutata est. Apparet autem illud: '*sisine nudę*' (*ę* ex *i* corr., cf. Meyeri adnot.) nihil esse aliud nisi verba: '*& zonis solutis*', quamvis corrupta et depravata.

ad c. I 30, 7: '*et parum comis sine te.] id est: 'minus elegans'; 'sine te', hoc est 'venustate'; scire autem debemus Venerem non tantum concubituum, verum etiam dominam esse omnium elegantiarum.*' Acronis A auctoritate comprobatur Paulyi[1]) emendatio '*sine te*' *hoc est* '*sine venustate*'; apud illum enim scriptum videmus: '*Sine te' hoc est 'sine venustate'. Sciendum tamen Venerem non tantum concubitus, verum etiam omnium elegantiarum esse dominam*'.

§ 29. ad c. I 34, 10: '*Taenari sedes.] 'inferi' intellegendum, quia per Taenarum Laconicae promunturium descensus ad inferos fertur.*' Ex Acronis A scholio colligere possumus in Porphyrionis explicatione verbum '*esse*' intercidisse quod cum iam constructio grammatica postulet, restituendum est, ut fiat: '*descensus ad inferos esse fertur.*' Acro A: '*Taenari promunturium Laconicae. per quod descensus esse ad inferos fertur.*'[2])

ad c. I 37, 30: '*scilicet invidens privata d. s. n. h. m. t.] 'invidens' scilicet Augusto ne captivitas sua illi gloriosiorem honestioremque triumphum faceret ornatu. nam et Titus Livius refert, illam cum de industria ab Augusto in captivitate indulgentius tractaretur idemtidem dicere solitam fuisse: Οὐ θριαμβεύσομαι id est non triumphabor ab alio.*' — Iam conferamus cum hoc scholio Acronis A verba: '*— — invidens Augusto ne captivitas sua illi speciosiorem faceret triumphum. Nam et Livius refert: Cleopatram cum de industria ab Augusto capta indulgentius tractaretur, dicere solitam: 'Non triumphabor.*'' — Habemus Porphyrionis scholion, habemus levissimas illas mutationes Acronis A proprias, '*speciosiorem*' pro Porphyrionis '*gloriosiorem honestioremque*', '*capta*' pro '*in captivitate*'; sed desideramus illum ablativum '*ornatu*', quadecausa eum non Porphyrionis, sed posteriore demum aetate male additum esse censeam, quod ut faciam, etiam locus extremus quo positus est monet. Insertum igitur est hoc ineptum additamentum postquam Acro A expositiones suas Porphyrionis

1) 1876, p 8.
2) Cf. Pauly. 1876, p. 8.

fundamento superstruxit. Simul hisce ex scholiis cognoscimus iam ante Acronem A Porphyrionis commentarios iis interpolationibus auctos esse, quibus Graeca verba explicantur. Nam cum Porphyrio ex Livio vel ex fonte suo scripsisset: *'Οὐ θριαμβεύσομαι'*, grammaticus quidam haec interpretatus est: *'id est non triumphabor ab alio';* Acro A autem, qui Graecae linguae minime scientem se praebet[1]), omissis Graecis vocabulis Latinam interpretationem recepit.

§ 30. ad c. II 8 in.: *'Vlla si iuris tibi peierati p. B.] scaenicum principium. intellegendum enim aliquos sermones praecessisse, quibus Barine h a e c noctem sui iureiurando interposito repromiserit; dein postquam fefellerit, tum in haec verba hunc erupisse.'* Paulyus[2]) pronomen *'haec'* delendum censet, quia Porphyrio similibus locis, ubi de eo loquitur ad quem carmen scripsit Horatius, pronomine demonstrativo non utatur. Cum ille autem locos non addidisset, ipse carmina perlustravi et inveni Porphyrionem semper fere usum esse pronominibus *'is'* vel *'ille'*, duobus tantum locis pronomen *'hic'* extat.

ad c. IV 4 in.: '— — *scripta est ergo* (sc. ecloga) *in Neronem Drusum privignum et successorem Augusti, qui Raetos Vindelicos bello vicit. de imperio autem principis h u i u s duplicem facit comparationem et q. s.'*

ad ep. 4 in.: *'hanc eclogam in Pompeium Menam scribit libertum Pompei Magni, qui praefectus classi fuit. Sexto Pompeio bellum adversum Augustum Caesarem gerente h i c cum classe ad Caesarem transierat, et q. s.'*

His duobus locis pronomen *'hic'* referendum est ad nomen proprium, quod antecedit; in scholio ad c. II 8 in. illud nomen proprium non antecedit, sed cum pronomine coniunctum est, quod in allatis exemplis non legitur. Attamen illud *'haec'* minime delendum puto collato Acronis A scholio, ubi est: *'Scenicum principium in V a r i n e n m e r e t r i c e m. Intellegitur enim per hanc invectionem aliquos praecessisse sermones, quibus noctem sibi e a d e m Varine iureiurando promiserit; dehinc postquam fefellit eum, in haec verba poetam velut amantem erupisse.'* Est autem Porphyrionis scholion ab Acrone A leniter mutatum et amplificatum. Illud enim quod est apud Acronem A *'eadem'*, ex Porphyrionis *'haec'* ex notissima illius consuetudine mutandi ortum esse puto et hac de causa non delendum. Ex quo sequitur, ut nomen proprium antecedere debeat, ad quod referendum sit illud *'haec'*. Hic quoque

1) Cf. Petschenig. 1873, p. 2.
2) 1877, p. 33.

Acronis A auxilio uti possumus; non enim dubito, quin verba: '*in Barinen meretricem*' ex integriore Porphyrionis exemplo desumpta sint. Itaque scribendum est: '*Scaenicum principium ⟨in Barinen meretricem⟩. Intellegendum enim aliquos sermones praecessisse quibus Barine haec etc.*'

§ 31. ad c. II 15, 17: '*nec fortuitum spernere cespitem leges sinebant] sensus et ordo hic est: nec sinebant legibus spernere cespitem fortuitum id est: non licebat inridere eum qui super stipulam vel super herbam recumberet aut dormiret, per quod significat, simplicem ac sine ambitione vitam veteribus Romanorum fuisse.*' Hic iam ex lemmate apparet scribendum esse: '*nec sinebant leges*[1]) *spernere —* nam '*legesinebant*' cod. M est: '*leges sinebant —*', quod comprobatur Acronis A scholio, ubi legimus: '*nec fortuitum s. cesp.] Hic ordo versuum est: nec sinebant leges spernere cespitem fortuitum, id est, non licebat aut neglectum horrere aut ridere eum, qui super herbam recumberet aut dormiret. Per quod significat simplicem ac sine ambitu vitam veteribus Romanis fuisse nec magna cura privatas opes curatas, dum studium omne publico ornatui inpenderetur et templis.*' Simul Acronis A scholion docet illud Porphyrionis '*Romanorum*' emendandum esse in '*Romanis*'[2]); fortasse verba: '*nec magna cura — templis*' referenda sunt ad plenius Porphyrionis exemplum, sed cum desint argumenta, res comprobari non potest.

ad c. II 16, 19: '*patriae quis exul se quoque fugit.] sensus est: quis a se quoque aut vitio avaritiae suae sapientiae suae potuit fugere, qui patriam reliquit?*' Verba '*a se quoque aut vitio avaritiae suae*' integra esse non possunt propter sensum; itaque hic corruptela statuenda est, quam Acronis A auxilio emendare conemur. Acro A: '*quis a se quoque, id est a vitiis avaritiae suae potuit fugere, qui patriam dereliquit . . .*' Primum igitur illud '*aut*' eiciendum est (dittographia quam dicimus ortum); deinde post '*quoque*' excidisse videtur '*id est*'; quod adtinet illud quod legitur: '*sapientiae suae*', hoc qui ceteros codices scripserunt emendare conati sunt: '*aut impatientiam suam*', quibus adductus Petschenigius[3]) scribi iussit: '*sive impotentiae*'; sed haec verba non modo inepta et supervacanea sunt, verum etiam Acronis A scholio conprobatur ea nihil esse nisi pravum additamentum,

1) Cf. Pauly. 1877, p. 33.

2) Pauly. 1876, p. 14: '*veteribus Romanis olim*', sed '*olim*' post '*veteribus*' prorsus supervacaneum est.

3) Stud. Vindob. 1881, p. 307.

quod primo supra adscriptum, deinde, sicut multa alia, in ipsius Porphyrionis verba irrepsit. Recte igitur Meyerus hanc interpolationem eiciendam censuit.

§ 32. ad c. II 18, 38: '*hic levare functum pauperem laboribus vocatus atque non vocatus audit.] belle, quia mors necessitas est; ita tamen perpetua requies laborum.*' Conferamus Acronis A scholion: '*Bene 'audit' quia mors ut necessitas est, ita perpetua est requies laborum.*' Inde apparet in Porphyrionis commentario post '*mors*' incuria librarii excidisse '*ut*'; nam cum totum Acronis A scholion Porphyrionis sit, veri simile non est illum addidisse vocem '*ut*'. Deinde Paulyus[1]) pro '*ita tamen*' scripsit '*ita etiam*', ut est apud Comm. Cruq.; sed non dubito, quin illud 'tamen' nihil sit nisi mendum librarii. Fortasse etiam inter '*requies*' et '*laborum*' intercidit '*est*', sed hoc in medio relinquam.

ad c. III 3, 46: '*qua medius liquor secernit Europen ab Afro.] Gaditanum mare fretum significat; inde enim discerni incipiunt Europa et Libya.*' Verba '*Gaditanum mare fretum*' non esse integra iam supra commemoravimus[2]), ubi quae viri docti de hoc loco senserint, exposita sunt. Equidem hic sententiam sequar Petschenigii, qui vocabulum '*fretum*' pro glossemate habendum ideoque delendum censuit. Sed quaerat hic quispiam, quomodo fieri potuerit, ut vocabulum '*mare*' addita voce '*fretum*' explicaretur? — Apud scriptores antiquae memoriae semper scriptum invenies '*Gaditanum fretum*', quod ut comprobem, hos locos afferam: Cic. fragm. ap. Charis. p. 129, 8: *Fretu, Cicero 'A Gaditano' inquit 'fretu'*; Solin. 18, 1: '*existimant enim quidam sinus istos a Gaditano freto nasci —*'; 23, 13: '*Sed Gaditanum fretum, a Gadibus dictum, —*'; 24, 11: '*Lix a Gaditano freto centum duodecim milibus* (sc. abest)'; Flor. ep. ed. Halm. p. 57, 22: '*Tiberius Nero Gaditanum fretum, quo primum maris nostri limen aperitur —*'; Plin. N. H. III praef. 4: '*Origo ab occasu Solis et Gaditano freto, quo irrumpens Oceanus Atlanticus in maria interiora diffunditur —*'; III 1, 1: '*in duas partes ab amne Tanai ad Gaditanum fretum universo orbe diviso —*'; Isidor. Orig. XIIII 15: '*Nam Gaditanum fretum a Gadibus dictum —*'; Macrob. VII 12,35: '*— in freto est Gaditano —*'; Iordan. Get. rec. Mommsen. p. 55, 10: '*— iuxta fretum Gaditanum —*'; p. 102, 1: '*— qui dicitur fretus Gaditanus —*'. '*Gaditanum mare*' autem non extat

1) 1876, p. 15.
2) Cf. huius disput. p. 166.

nisi apud Porphyrionem et apud alium, quem statim nominabo. Quid igitur veri est similius quam grammaticum quendam, cum Porphyrio '*Gaditanum mare*' scripsisset, annotasse hoc fere non dici, sed semper '*Gaditanum fretum*', quadecausa super '*mare*' adscripsit vocem '*fretum*', ut ii, qui Porphyrionis commentarios legerent, plane cognoscant, hic Gaditanum fretum intellegendum esse? Deinde illud fretum sicut multa alia inter ipsius commentatoris verba irrepsisse? — Mihi quidem hoc valde videtur esse probabile. Accedit autem aliud argumentum atque ut puto gravissimum: supra iam dixi apud alium quoque legi: '*Gaditanum mare*'; hoc autem extat apud Acronem A, ubi scriptum videmus: '*Gaditanum mare dicit, inde enim incipit Europa secerni a Libya.*' Nonne habemus Porphyrionis scholion ab Acrone lenissime mutatum? — Dubium igitur esse non potest, quin cum Petschenigio scribendum sit: '*Gaditanum mare significat*'.

§ 33. ad c. III 4, 50: '*fidens iuventus horrida brachiis] ordo est: fidens brachiis iuventus horrida. melius enim intellegitur quam 'horrida brachiis'.*' Desideratur hic id, quocum '*horrida brachiis*' comparatur, id est '*horrida iuventus*', ut est apud Acronem A: '*Melius intellegitur 'horrida iuventus' quam 'horrida brachiis'.*' Itaque illa verba apud Porphyrionem, ubi aberratione librarii omissa esse puto, addenda sunt.

ad c. III 5 in.: '*Caelo tonantem credidimus I. r.] famae, inquit, tantum de Iovis magnitudine credimus, quanto magis de Augusti credendum est, cuius virtutes et potentiam omnes non audimus, sed videmus!*' — Petschenigius[1]) ante '*famae*' addiderat '*si*', quod confirmatur Acronis A scholio, quod est: '*Ergo si famae, inquit, tantum de Iovis magnitudine credimus, quanto magis de Augusti divinitate credendum est et q. s.*'; male autem Hauthalius in editione sua ex Acrone in Porphyrionis verba vocabulum '*divinitate*' inseruit, nam haec ellipsis minime pugnat cum Porphyrionis consuetudine dicendi.[2])

ad c. III 5, 27: '*neque amissos colores lana refert medicata fuco.] ut lana, inquit, medicata id est infecta numquam ad pristinum redit colorem, ita miles . . . non erit fortis.*' Conferamus cum hoc scholio, quae apud Acronem A invenimus: '*Sicut fuco, inquit, lana medicata ad pristinum iam non potest colorem reverti, ita miles etc.*' Apud Porphyrionem desideratur ablativus '*fuco*', qui

1) 1872, p. 22.
2) Cf. Urba l. c. p. 59 sqq.

est in lemmate scholii; verba autem '*id est infecta*' non extant apud Acronem A. Itaque Porphyrio scripsisse videtur: '*Vt lana, inquit, medicata fuco numquam etc.*' Deinde adscripsit nescio quis ad vocem '*medicata*' interpretationem '*id est infecta*', quae in commentarium irrepsit vocemque '*fuco*' eiecit. Propria enim est ei eadem forma, quae in interpolationibus saepissime invenitur: '*id est* . .'

ad c. III 5, 39: '*o magna Carthago probrosis altior Italiae ruinis] sic vocabatur Carthago magna, quam ait dedecore et donis malis Romanorum altiorem factam.*' Codices praeter M pro '*donis malis*', quod certe corruptum est, praebent lectionem '*dolis malis*' haud felici emendatione. Paulyus[1]) '*domi malis*' = '*domesticis malis*' scribi iussit et his verbis illud Horatianum '*Italiae ruinis*' explicari censuit. Petschenigius[2]) emendavit: '*damnis magnis*', quo illud '*ruinis*' explicaretur. Stowasserus[3]) melius scripsit: '*dedecore et damnis* (ex: *dãnis*) *Romanorum*', verbum '*malis*' ex interpretamento ortum delendum ratus. Ego autem non modo '*malis*' delendum, sed etiam '*et damnis*' eiciendum puto, Acronis A auctoritate nixus, qui haec habet: '*Magna enim Carthago ab accolis vocabatur; sed hic eam*[4]) *poeta ait dedecore Romanorum maiorem factam.*' Non dubito, quin Acro A hoc scholion ex Porphyrionis exemplo sumpserit leniterque tantum ut eius erat mos mutaverit; desunt autem apud Acronem ea verba, quae totam hanc quaestionem moverunt. Quadecausa ea Porphyrionis esse non existimo eumque scripsisse mihi persuasi: '*quam ait dedecore Romanorum altiorem factam.*' Deinde ad vocem '*dedecore*' adscripta est interpretatio '*i. e. dãnis malis*', quae postea ab neglegenti homine in commentarium recepta est.

§ 34. ad c. III 24 in.: '*Intactis opulentior thesauris] hac ᾠδῇ generaliter invehitur in luxuriam omnem omnia profanantem et aedificiis novis non terram tantum, verum etiam maria occupantem.*' Acronis A scholio: '*Generaliter hac ode invehitur in luxuriam omnia profanantem et aedificiis novis non terram tantum, sed etiam maria occupantem*' Meyeri sententia, qui '*omnem*' delendum ratus uncis inclusit, comprobatur, ideoque Paulyi coniecturae, qui illud '*omnem*' corruptum esse censuit ex '*hominum*' vel '*Romanorum*' vel '*omnino*', reiciendae sunt.

1) 1876, p. 17.
2) Eph. gymn. Austr. 1879, p. 804.
3) Stud. Vindob. 1890, p. 121.
4) *eum:* cod. Paris. 7900 A.

ad c. III 24, 52: '*et tenerae nimis mentes] utrum puerorum mentes teneras nimis digitisq; formandas ad asperiora studio, an vero luxuriosorum mentes teneras appellat, quas vult abiectis gemmis et auro formari ad asperiora studia?*' — Meyerus Meiseri coniecturam in editionem recepit '*dicit easque*' pro illo corrupto '*digitisq;*', Paulyus[1]) scripsit: '*dicit literisque*'. Sed nisi certum aliquem ducem sequimur, longum spatium coniecturis patet. Itaque nos convertamus ad Acronem A, cuius opera iam saepius rem difficilem expedivimus. '*[Duplex intellectus est] utrum puerorum mentes teneras dicat esse formandas ad asperiora studia [hoc est fortiora], an certe luxuriosorum mentes teneras appellat, quas vult, abiectis [luxuriae instrumentis], auro et gemmis, asperioribus studiis reformari.*' Quae uncis inclusi, ea ab Acrone aut alio addita, reliqua autem Porphyrionis sunt. Itaque si ad incuriam et levitatem librarii, quae saepissime nobis occurrit, respicimus, non alienum est putare illud '*digitisq;*' corruptum esse ex '*dicit esse*', praesertim si ea verba in codice illo Horatiano vetustissimo vel in Porphyrionis archetypo minus clare scripta erant.

ad c. III 25 in.: '*Quo me Bacche rapis tui plenum.] Hac ᾠδῇ invocat Liberum patrem petens ab eo, ut se in secreta aliqua nemorum suorum ducat, ubi numine eius mentem instinctus Caesaris Augusti laudes canat; per quae videtur allegoricos significare non sufficere spiritum suum laudibus Augusti sine Liberi numine. nam et ipse musicus deus est adhibetur.*' Varias nobis hic commendaverunt emendationes viri docti, velut Petschenigius[2]): '— — *nam et ipse musicus deus esse perhibetur*'; Paulyus[3]): '*nisi Liberi numine adiuvetur, nam et ipse musicus deus est*'; Bitschofskyus[4]): '*nisi Liberi numine — nam et ipse musicus deus est — adiuvetur*'; Beckius[5]): '*nam et ipse musicus deus a se adhibetur.*' Probatur Bitschofskyi sententia Acronis A auctoritate: '*Hac ode Liberum patrem invocat, eo quod ipse musicus deus sit, petens ab eo, ut se in secreta nemorum suorum ducat, ubi numine eius repletus Caesaris Augusti laudes canat, allegoricos significans non sufficere spiritum suum laudibus Augusti, nisi numinis eius iuvetur instinctu.*' Hoc scholio etiam verisimile fit apud Porphyrionem '*nam et ipse musicus deus est*' primo scripta fuisse post

1) 1876, p. 19.
2) 1873, p. 8.
3) 1877, p. 36.
4) Stud. Vindob. 1883, p. 169.
5) De M. Valerio Probo Berytio 1886, p. 48.

vocem '*patrem*', deinde verba illa esse omissa et falso loco postea addita; quanquam verba eo quo nunc posita sunt ordine nil habent offensionis.

§ 35. ad c. III 27, 49: '*inpudens Orcum moror o deorum.] eadem*[1]) *inpudentia vivo, qua patriam reliqui.*' Cum Acro A habeat: '*Eadem, inquit, inpudentia vivo, qua[m] patriam reliqui*', recte Paulyus[2]) in Porphyrionis scholio vocem '*inquit*' addendam censuisse mihi videtur.

ad c. III 28, 4: '*munitaeque adhibe vim sapientiae.] munita sapientia bene dicitur, quae scilicet nulli fortunae subiecta est. Graeci autem aiunt vim sapientiae adhiberi per vinum.*' Apud Acronem A scriptum videmus: '*Bene autem ait vim sapientiae adhiberi per vinum.*' Illud '*bene*' Acronis A nos docet vocabulum '*Graeci*' corruptum et pro eo scribendum esse '*grate*'.[3]) Deinde '*aiunt*' in '*ait*' mutari debet, nam Porphyrio hic Horatium laudat; cf. id quod antecedit: '*bene dicitur.*'

ad c. III 29, 57: '*non est meum si mugiat Africis malus procellis] nec vitae nec propositi mei est, inquit, adversa, quia nec periculis me quaestus causa committo nec plura quam habeo desidero.*' Cum Horatiani versus qui secuntur, tum Acronis A scholion: '*nec vitae nec propositi mei est, inquit, timere adversa, quia etc.*', nos scribere iubent apud Porphyrionem: '*inquit, timere adversa*', id quod iam Paulyus in editione sua (a. 1858) fecerat.

ad c. IV 13, 5: '*Cupidinem lentum sollicitas.] 'ille virentis': scilicet Cupidinem, qui ideo lentus est, quoniam tu ei ingrata es per aetatem.*' Paulyus[4]) verba: '*ille virentis. scilicet Cupidinem*' delenda censuit, quia non nisi repetita essent ex sequenti scholio: '*ille virentis e. d. ps. Ch. p. e. i. g.: Cupido scilicet.*' Acronis A autem scholion me movet, ut aliter sentiam de hac re. Extat enim apud illum: '*Iuvenum scilicet Cupidinem, qui ideo lentus est, quoniam tu eis ingrata es per aetatem.*' Itaque illud '*iuvenum*' nescio quo modo corruptum esse puto ita, ut qui codicem M descripsit, illud agnoscere nondum posset; tum inepte correxit: '*ille virentis*', fortasse adductus initio proximi scholii, et cum vox '*eis*', quam invenerat, iam non haberet, ad quod pertineret, eam mutavit in '*ei*', nunc referens ad cupidinem. Quamobrem Porphyrionis scholion secundum Acronem A restituendum est.

1) M: *moror ō adeor.*
2) 1877, p. 36.
3) Pauly. 1876, p. 19.
4) 1876, p. 21.

ad c. IV 15, 3: '*ne parva Tyrrhenum per aequor vela darem] allegoricos significatur: ne magnam materiam humili generi carminis committerem.*' Apparet ex Acronis A scholio: '*per allegoriam significat magnam materiam etc.*' et ex ipsius Porphyrionis scholio ad c. II 7, 15: '*allegoricos significat — —*' scribendum esse: '*allegoricos significat et q. sq.*'[1])

Multis certe aliis locis Acronis A auxilio Porphyrionis commentarios emendari possunt, sed hoc antequam fiat scholia cod. Paris. 7900 A accuratius et a reliqua scholiorum mole separata denuo edantur necesse est, quod facile mihi concedet, qui Hauthalii editionem et praecipue eius apparatum criticum cognoverit.

Valde autem dolendum est, ut iam supra professi sumus, quod non ad omnia Horatii carmina scholia illa codicis Paris. 7900 A exstant; nam Porphyrionis commentarii, qui ad Sermones et Epistulas spectant, praecipue corrupti, mutilati, interpolati sunt; deinde ex iis Urba maxima ex parte verba deprompsit, quae ei ad definiendam Porphyrionis aetatem apta visa sunt.[2])

§ 36. Ab hac vetustiore Pseudacronianorum scholiorum recensione, de qua adhuc egimus, iam supra[3]) distinximus illam recensionem quam nobis codex Parisinus 7975 γ praebet. Cuius natura quo planius cognoscatur, Kelleri verba sequi iubeo:[4]) '*Wir unterscheiden also vorläufig die auf die Carmina, Epoden und das Carmen saeculare beschränkten älteren, kürzeren schol. A und die über den ganzen Horaz ausgedehnten späteren schol. Γ, welche bis zu c. IV 2 hin als weitläufigere Version von schol. A auftreten, von c. IV 3 bis zum Schluſs der Epoden und dem Carmen saeculare im Gegensatz zu schol. A sich befinden und daselbst teils aus Porphyrio geflossen sind, teils selbständig gearbeitet zu sein scheinen. Für die Sermonen, Episteln und die Ars poetica fehlt jeder Maſsstab, da hier nur schol. Γ (ohne schol. A) vorliegen. Diese schol. Γ teilen mit den von c. IV 3 an nachweislichen schol. Γ die merkwürdige Abhängigkeit von Porphyrio sowie einige andere Eigentümlichkeiten und dürften also wohl nur eine Fortsetzung jener schol. Γ sein.*' Haec igitur scholia Γ, quibus scholia nonnullorum aliorum codicum simillima sunt, recensionem praestant, quae Kellero auctore[5]) sub finem saeculi quinti, secundum

1) Cf. Pauly. 1877, p. 38.
2) Cf. Urba l. c. p. 42. 43.
3) Cf. huius disput. p. 167.
4) Epilegomena ad Horat. T. III p. 792.
5) Symbola philol. Bonn. p. 502.

Kukulam[1]) non ante medium saeculum sextum orta est.[2]) Quod ad emendandos Porphyrionis commentarios adtinet, scholia *Γ* longe distant ab vetustiore illa recensione, nam posterioribus saeculis iterum Porphyrionis particulis aucta vel e codice aliquo Porphyrioneo emendata esse videntur; deinde is qui haec scholia compilavit, Porphyrionis verba non tam saepe aut tam constanter mutavit, quam Acro A, sed plerumque integra deprompsit, ut scholia *Γ* plerumque ad eam formam quam proxime accedant, quam nobis codices Porphyrionis praebent. Semel Acro *Γ* Porphyrionis verba prorsus integra his verbis affert: 'Apud Commentatorem sic inveni relatum —' ad A. P. 120. — Ceteris permultis locis, qui ad Porphyrionem ut fontem spectant, nec tale quid nec Porphyrionis nomen legitur. Est autem consuetudo illius Acronis *Γ*, quo nomine omnes qui huius recensionis scholia composuerunt et auxerunt comprehendamus, ad singulos Horatii versus complures plerumque adferre explicationes, quae coniunguntur coniunctione '*aut*', velut A. P. 234 (cf. ad c. I 28, 9; 35, 17; II 7, 22; III 1, 16; 20, 6; 20, 11; 28, 13); saepius adverbio '*aliter*', velut ad ep. 13, 5; ad Ep. I 4, 3; I 5, 9; ad A. P. 191; 343; 471; deinde voce '*alii*', velut ad ep. 2, 53; ad Serm. I 2, 76; I 3, 29; I 3, 46; I 5, 62; ad A. P. 203; ubi una et optima fere ex variis interpretationibus Porphyrionis est.

§ 37. Atque quo melius intellegatur, quam arte Acronis *Γ* scholia ex Porphyrione desumpta ad eam Porphyrionis commentariorum formam, quam in codicibus habemus, se applicent, nonnulla exempla afferre satis habeo.

ad c. IV 15 in. Porph.: '*Phoebus volentem proelia me loqui.] quidam separant hanc ᾠδὴν a superiore, sed potest illi iungi, quoniam et hic laudes dicuntur Augusti.*' — Acro *Γ*: '*quidam separant hanc oden a superiore, sed potest illi iungi, quoniam et hic laudes dicuntur Augusti.*'

ad ep. 2, 17. Porph.: '*poetica phantasia finxit autumnum quasi corporalem deum pomis coronatum.*' — Acro *Γ*: '*poetica phantasia fingit [autem] autumnum quasi corporalem deum pomis coronatum.*'

ad ep. 2, 21. Porph.: '*et munero et muneror [in]*[3]) *activa significatione recte dicitur.*' — Acro *Γ*: '*munero et muneror recte dicitur in activa significatione.*'

1) De tribus Pseudo-Acron. schol. recensionibus p. 46.
2) Cf. Petschenig. 1873, p. 7, adnot. 14.
3) '*in*' delevit Paulyus 1877, p. 39.

ad ep. 2, 29. Porph.: '*'annus hibernus' pro 'hibernum tempus anni'.*' — Acro *Γ*: '*pro hibernum tempus anni.*'

ad ep. 2, 39. Porph.: '*non ait 'quodsi et pudica uxor rustico contingat'; nec enim existimat difficile esse rusticam uxorem pudicam esse, cum omnes pudicas esse intellegi velit. sed hoc ait: quodsi et uxorem habeat, quae alioqui pudica est. potest autem utique accidere [idioma. et est consuetudo rustica]*[1]), *ut uxor non sit, vel quia nondum ducta est, vel quia aliquo casu adempta est.*' — Acro *Γ*: '*non ait: quodsi et pudica uxor rustico contingit — neque enim difficile aestimat, rusticam uxorem pudicam esse, cum omnes pudicas intellegi velit — sed hoc ait: quodsi et uxorem habeat, quae alioqui pudica sit. potest autem accidere ut uxor ei non sit, quam nondum duxerit vel quod aliquo casu adempta sit.*'

ad ep. 3, 7. Porph.: '*sub hoc Canidiae nomine Gratidiam Neapolitanam unguentariam intellegi vult, quam ut veneficam Horatius semper insectatur. sed quia non licet probrosum carmen in quemquam scribere, idcirco fere poetae similia adfingunt. sic et Vergilius in Bucolicis pro Cytheride Lycoridem appellat.*' — Acro *Γ*: '*Sub hoc Canidiae nomine Gratidiam Neapolitanam unguentariam intellegi vult, quam ut veneficam Horatius semper insequitur. Sed quia non licet probrosum carmen in quempiam scribere, idcirco poetae similia confingunt. sicut Maro*[2]) *in Bucolicis pro Cytheride Lycoridem appellat.*'

ad ep. 14 in. Porph.: '*ad Maecenatem loquitur. significat illum frequenter de se quaerere, cur neglegat carmina scribere. deinde quasi interrogationes eius volens effugere amorem causatur.*' — Acro *Γ*: '*Alloquitur Maecenatem significans illum frequenter de se quaerere, cur neglegat carmina scribere. deinde quasi interrogationes eius volens effugere amorem causatur.*'[3])

§ 38. Quanquam scholia *Γ* plerumque non tam prope accedunt ad illam pristinam formam commentariorum Porphyrionis, quam scholia A, tamen temere faceremus, si iis omnem auctoritatem abiudicaremus ad emendandum Porphyrionem, sed ubi iis utimur,

1) Haec delevit Meyerus in editione.

2) Cf. Petschenigius 1873, p. 5.

3) Omnia haec exempla sumpsi ex scholiis cod. Paris. 7975 γ ad c. IV 3 usque ad epodon c. XVI, quae Kurschatius accuratissime edidit in Progr. gymn. Tilsit. a. 1884, quia hic certiore fundamento uti potui, quam si Hauthalii editionem adhibuissem (cf. Kurschat. p. 5), quanquam de scholiis ad Sermones et Epistulas idem valet. Cf. deinde quae Kurschatius in adnotationibus ad singula scholia adscripsit.

caute agendum est, ne quae sequioris aetatis sunt, quinto vel sexto saeculo praepropere tribuamus.

Iam sequi iubeo exemplum ex epodon libro desumptum, quo Acronis *Γ* quoque auxilio Porphyrionem emendari posse comprobetur.

ad ep. 2, 63. Porph.: '— — *languido autem collo: lasso. et utique voluptas domino hinc est cogitanti, quantum utilitatis ex ratione agro contulerint.*' — Acro *Γ* habet haec: '*languido: lasso. et hinc utique domino voluptas est cogitanti, quantum utilitatis agro ex aratione contulerint.*' Inde codices Porphyrionis praeter M exhibent: '*ex aratione*'. Recte Paulyus[1]) praepositionem '*ex*' falso ante '*aratione*' (M: *ratione*) positam et scribendum esse censuit: '*aratione ex agro*'; deinde ex eo quod in M extat: '*contulerit*', concludit leni mutatione '*contigerit*' restituendum esse, quae emendatio porro postulat, ut pronomen '*sibi*' addetur. Lenior autem mutatio est pro: '*contulerit*' scribere '*contulerint*', ut est apud Acronem *Γ*, cum in cod. M talia librarii menda passim extent. Itaque scholion Porphyrionis sic est legendum: '*cogitanti, quantum utilitatis aratione ex agro contulerint.*' Sic enim bonum sensum praebet et optime respondet illis Horatii verbis antecedentibus:

'*ut iuvat pastas oves*
Videre properantes domum.'

Hoc scholion sicut alia nisi eo iam tempore ex Porphyrione desumptum est, ubi huius commentarii nondum erant in archetypo quodam codice comprehensi, at certe ad codicem Porphyrioneum spectat, qui librariorum mendis nondum erat inquinatus.

§ 39. Magna tamen scholiorum *Γ* pars e Porphyrionis commentariis deprompta est, ante quam hi in unum codicem conscriberentur. Nam incuria sive inertia eius, qui hoc fecit, plurima scholia Porphyrionis deperdita sunt, quod optime intellegimus, si multitudinem scholiorum ad carmina, epodon librum, ad Sermonum librum primum contemplamur; veri simile enim non est Porphyrionem reliquos libros tam paucis illustrasse expositionibus, quam codices nobis ad Sermonum librum secundum et ad Epistularum libros praebent.[2])

1) 1877, p. 39.

2) Annotavi locos, ubi ad decem aut plures versus Porphyrionis explicatio iam non extat: (ad c. IV 9, 13—29); ad Serm. II 3, 41—53; 103—141; 5, 56—82; 6, 18—30; 36—46; 72—117; 7, 4—17; 38—58; 72—95; 104—118; 8, 26—39; 72—86; ad Ep. I 1, 64—74; 82—94; 2, 1—20; 27—41; 41—52; 3, 15—26; 4, 4—16; 6, 1—15; 39—62; 7, 1—14; 15—30; 48—59; 59—73; 73—92; 9, 1—13; 10, 16—29; 29—40; (11, 1—7); ad A. P. 154—179; 179—189; 203—214; 221—234; 234—248; 261—273; 281—291; 375—387; 404—417.

Ad serm. I 9, 22 Porphyrio haec annotat: '*et Viscum et Varium Horatius amicos habuit. de Visco infra dicetur; Varius autem* (M: *tamen*) *de doctissimis fuit et q. sq.*' Expectamus igitur annotationem Porphyrionis ad serm. I 10, 83, ubi apud Horatium est:

'*haec utinam Viscorum laudet uterque!*'

sed haec annotatio in codicibus Porphyrionis desideratur. Apud Acronem Γ autem haec leguntur: '*Visci duo fratres fuerunt optimi poetae, alii criticos dicunt. aliter: Hi fratres fuerunt. Pater eorum Vibius Viscus, quamvis et divitiis et amicitia Augusti clarus [usus] esset, in equestri tamen ordine perduravit, cum filios suos senatores fecisset.*' Hoc scholion Kiesslingius[1]) summa cum probilitatis specie Porphyrionis esse contendit, eo quod Porphyrio eos qui de personis Horatianis scripserunt bis[2]) citat, saepius eorum sententiam attulit, haec autem de Viscis expositio optime quadrat in naturam et formam earum annotationum, de quibus modo diximus.

Habemus igitur Porphyrionis scholion ex pleniore eius exemplo depromptum et ab Acrone Γ nobis servatum. Animadvertendum autem est, quod hoc quoque scholion in iis est, quae voce '*aliter*' afferuntur et cum saepius iis locis, ubi apud Acronem Γ complures expositiones eodem vel simili modo coniunguntur, unum ex iis et optimum fere Porphyrionis sit, non alienum est putare nonnulla ab Acrone Γ similibus locis servata esse, quae Porphyrionis sunt, in eius autem codicibus iam non extant. Huc fortasse spectant scholia ad Serm. II 5, 51; 6, 20; 6, 79; 6, 93; 7, 14; 8, 78; ad Ep. I 1, 93; 2, 1; 7, 6; 7, 24; 7, 66; ad A. P. 232; 233; 288; 380.

Haec habui, quae de scholiorum Pseudacronianorum auctoritate ad emendandos reficiendosque Porphyrionis commentarios exponerem.

§ 40. Restat, ut mentionem faciam illius fragmenti Porphyrionei, quod est apud Charisium grammaticum (Keil. p. 220), quod Kiesslingius commentariis in Horatii carmina tribuit neque veri simile non est illud esse Porphyrionis annotationem ad Ep. I 3, 31[3]), ubi Horatius dixit:

'*— an male sarta*
gratia nequiquam coit et rescinditur —'

Apud Charisium enim haec extant: '*Vt Porphyrio ex Verrio et Festo: in auguralibus, inquit, libris ita est: sane sarcteque . . . tiis.*'

1) l. c. p. 6.
2) ad Serm. I 3, 21; I 3, 90.
3) De person. Horat. p. 6, adnot. 6; est hic error typographicus Ep. I 2, 31 pro Ep. I 3, 31, quem Froehdius 'De G. Iulio Romano' integrum in libellum suum transtulit; cf. p. 645.

§ 41. Postquam igitur ostendimus, si priscam Porphyrionis commentariorum formam restituere volumus, primum interpolationes virorum doctorum et indoctorum esse eiciendas, deinde codicum corruptelas esse emendandas, postremo quantum potest fieri lacunas incuria atque neglegentia consarcinatoris, ut ita dicam, ortas explendas esse, hoc facile quisque nobis concedet tum demum, ubi integrum Porphyrionem refecerimus, ex vocibus a commentatore prolatis aliquid fortasse elici posse ad eius aetatem definiendam. Sed cum nihil certius sit quam hoc nunquam prorsus in integrum Porphyrionem restitutum iri, sermonis proprietates quin pro certis ducibus habeamus fieri non potest. Itaque nihil restat nisi ut nova argumenta extrinsecus, ut ita dicam, petamus, quibus nixi quo tempore Porphyrio vixerit fortasse eruere possimus.

§ 42. Ac primum quidem extremos Porphyrionis aetati terminos ponamus. Quamobrem scriptores ab ipso laudati qui proxime ad Porphyrionis tempora accedunt indagandi sunt. Sunt hi autem Q. Terentius Scaurus, cuius verba Porphyrio ad Serm. II 5, 92 exhibet et C. Suetonius Tranquillus, quem initio secundi epistularum libri commemorat. Quorum alter Gellio teste[1] '*divi Hadriani temporibus grammaticus vel nobilissimus*' fuit, alter ab anno fere 70 usque ad annum 160 vixit. Habemus igitur tempus, ante quod Porphyrionis aetatem ponere non possumus. Iam ad alterum terminum definiendum transeamus. Extat Charisii grammatici locus, quem iam supra[2]) commemoravimus, unde apparet Porphyrionem iam ante Charisium commentarios suos composuisse. Quo autem tempore Charisius floruerit, de hac re sententiae virorum doctorum non prorsus congruunt. Osannus[3]) enim illum sub finem saeculi quarti vixisse sibi persuasit, at contra Christius[4]) eundem grammaticum priori quarti saeculi parti adscribere vult. Itaque utrum potius sequamur diiudicandum est.

§ 43. Charisius primum laudatur a Servio ad Aeneid. IX 329, quanquam de hac re non prorsus constat inter viros doctos, deinde a Rufino[5]), quorum uterque sub finem quarti saeculi scripsit. Ex quo fit, ut Charisium ante hos vixisse statuamus. Vt autem alterum terminum ponere possimus, afferenda videntur, quae Christius[6]) de Diomede Charisii fere aequali exposuit. Diomedes enim cum de

1) Cf. Gellius, Noct. Attic. 11, 15, 3.
2) Cf. huius disput. p. 186; Keil. G. L. p. 220.
3) Beiträge z. griech. u. röm. Litt.-Gesch. T. II p. 340.
4) Philolog. XVIII p. 131.
5) Cf. Keil. Gr. L. VI p. 555.
6) l. c. p. 130.

casu septimo dissereret[1]), haec prodidit: '*studente sacerdote differentia inventa est . . . σπουδάζοντος ἱερέως ἡ διαφορὰ ηὑρέθη.*'

Iam eadem extant verba in Excerptis Anonymi Bobiensis[2]), ubi haec legimus: '*studente Sacerdote differentia inventa est . . . σπουδάζοντος Σακέρδωτος ἡ διαφορὰ ηὑρέθη.*' Quae si comparamus, errasse Diomedem concedendum est, cum vocem '*sacerdote*' nomen appellativum esse arbitraretur; ex altero enim quem attulimus loco apparet '*Sacerdotem*' fuisse nomen proprium eius grammatici, ad quem tota haec de septimo casu disputatio referenda est; erat enim huius proprium, ut in exemplis saepissime nomine suo uteretur; praeterea haec sententia confirmatur verbis, quae apud Diomedem antecedunt[3]): '*ceterum ab his quidam discrepant, qui etiam septimum casum adsumunt, qui est ablativo similis, ratione autem non congruit, cuius differentiam inserere haud piguit ita.*' Itaque Diomedes post illum grammaticum, quem Marium Plotium Sacerdotem fuisse maxime probabile est, artem suam grammaticam composuit. Cum autem illum Diocletiani temporibus, id est sub finem tertii saeculi aetate floruisse veri simile sit, neque Diomedes neque Charisius ante saeculum quartum vivere potuerunt.

Iam Charisius medio fere saeculo quarto vitam degisse mihi videtur, quae sententia comprobatur optima illa Useneri[4]) coniectura, qui apud Hieronymum chron. 2375 = ann. p. Chr. 358, ubi haec extant: '*Euanthius eruditissimus grammaticorum Constantinopoli diem obit, in cuius locum ex Africa Charistus adducitur*', '*Charisius*' legi debere summa probabilitate contendit.[5])

Quibus expositis Porphyrionem inter annos fere 160 et 358 commentarios scripsisse plane intellegitur. Simul Urbae sententia, qui commentatorem fini quarti saeculi vel potius inferiori aetati tribuere vult, optime convincitur et luculentissime apparet incertissima esse illa argumenta ex sermone alicuius scriptoris desumpta ad definiendam eius aetatem, praesertim si illius opera non integra ad nostra pervenerunt tempora.

§ 44. Sed fortasse vel angustioribus terminis Porphyrionis aetatem circumscribere possumus, in quo nos valde adiuvat res, quam Urba prorsus neglexisse videtur, cum a Charisio Porphyrionem laudatum diceret. Nam si verborum apud Charisium contextum

1) Cf. Keil. Gr. L. I p. 318.
2) Cf. ibidem p. 534.
3) Cf. ibidem p. 317 v. 23.
4) Cf. Mus. Rhen. 23, p. 492.
5) Schanz., hist. litt. Rom., Charisium c. a. 360 vixisse adnotat.

atque continuationem accuratius contemplatus eris, facile invenies illud Porphyrioneum nos non debere Charisio, sed C. Iulio Romano, cuius ex libro ἀφορμῶν ille hanc institutionis suae partem deprompsit. Ex quo fit, ut Porphyrionis terminum aetatis inferiorem aliquantum removere possimus.

Hoc loco reiciendum est, quod Schwabius[1]) statuit, qui quanquam concedit totam hanc Charisii partem Iulii Romani esse, tamen sola illa verba, quibus Porphyrio commemoratur, ab ipso Charisio Romani verbis inserta esse contendit. Quod ut faceret, iis commotus esse videtur, quae apud Urbam de Porphyrione quarto saeculo adscribendo legit.[2]) Sed ne leviter in hac re, quae summi momenti est, agere videamur, Charisione an Romano illud fragmentum Porphyrioneum tribuendum sit, diligentius disceptemus.

§ 45. Ex iis quae Charisius operi suo praeposuit: '*Amore Latini sermonis obligare te cupiens, fili karissime, artem grammaticam sollertia doctissimorum virorum politam et a me digestam in libris quinque dono tibi misi*' apparet illum cum ad institutionem grammaticam scribendam se conferret, in animo habuisse ex aliorum grammaticorum scriptis ea quae sibi viderentur excerpere et in unum quasi corpus componere. Inprimis usus est auctoribus C. Iulio Romano, Palaemone, Cominiano[3]), quorum ex libris magnas partes sine ulla immutatione in suum librum transtulit. Quod vel inde intellegitur, quod nonnullos locos, ubi auctor ad alium sui operis partem provocat[4]), prorsus integros recepit. Quadecausa plerumque difficile non est ad statuendum quem quoque loco auctorem secutus sit Charisius, praesertim cum saepenumero nomen eius, cui hanc partem debet, afferat. Itaque sine ullo labore complura Charisii capita inveniemus, quae certe ex Romani libris ille compilator sumpsit, velut '*de analogia*' (l. c. p. 116—147), '*de adverbio*' (p. 190—224), '*de coniunctione*' (p. 229—230), '*de praepositione*' (p. 236—238), '*de interiectione*' (p. 239—242). Accedunt nonnullae minores particulae, quae Romani nomen prae se ferunt. Quae si contemplamur, fugere nos non potest omnia

1) Teuffel. hist. litt. Rom.[5] p. 960; cf. etiam Schanz. hist. litt. Rom., qui eandem sententiam professus est.

2) Cf. l. c. p. 612: '*Das Zeitalter des Sex. Pompeius Festus ist unbekannt; indessen citiert er Lucan und Martial und wird selbst von Charisius (also Iulius Romanus) Gr. L. I p. 220, 28 (Porphyrio ex Verrio et Festo) — — — angeführt!!*'

3) Cf. Schottmüller. De C. Plini Secundi grammaticis I.

4) Cf. Keil. Gr. L. I p. 209, 21.

eundem praebere colorem, ut ita dicam, nam solus Romanus '*pauca praefatus magnam copiam exemplorum ex omni genere scriptorum collectam et ordine litterarum dispositam congessit. Soli illi antiquorum scriptorum frustula dilacerata quidem, sed tamen pretiosissima debemus; nullum enim nisi tritissimum scriptorem a Charisio laudatum invenies, eis exceptis capitibus quae a Romano traduxit grammaticus.*' Si nomina scriptorum, quos paene centum laudat Romanus, perlustramus, eos praecipue invenimus, quos diligentissime cognoverant ceterisque antetulerant M. Cornelius Fronto et qui eum sequebantur, velut Plautum, Ennium, Catonem, Gracchum, Lucretium, Laberium, Sallustium, alios. Cum autem in iis Charisii partibus, quae ad Cominianum et Palaemonem ut auctores spectant, paucos tantum eosque ut iam diximus tritissimos atque vulgares scriptores, in quibus praeter ceteros Vergilium, laudatos reperiamus, facere non possumus, quin ea quae ex Romano deprompta sunt '*doctrinam paulo antiquiorem redolere et vestigia eruditionis uberioris prae se ferre*' concedamus, quo efficitur, ut Romanum non paulo ante Charisium vixisse credamus.

§ 46. Id inprimis proprium est eorum capitum, quae Romano debet Charisius, quod semper pro nomine '*Vergilio*' cognomen illius poetae clarissimi posuit Romanus, semel tantum '*Vergilium*' laudat, quod Christius[1]) ita explicat, ut hic Romanum cum fontem sequeretur qui Vergilii nomen praebebat, praeter consuetudinem suam illud nomen in '*Maronem*' neglegentia quadam non commutasse censeat. Extat autem hic locus in eo capite, quo agitur de analogia[2]); ea autem in parte quam nunc spectamus, '*de adverbio*', non nisi '*Maronem*' laudatum invenies. Accedit quod nihil in hac tractatione ab ipso Charisio interpolando additum videtur.[3]) Deinde ex eo loco, quem supra commemoravimus (Gr. L. I p. 209, 21) elucet totam hanc partem integram atque inmutatam a Charisio receptam et operi insertam esse. Porro neque in ulla hoc loco discrepantia aut verborum aut sensus offendimus neque ordo rerum

1) Philol. 18, p. 122.

2) Cf. Keil. Gr. L. I p. 146, 5.

3) Quod adtinet ad Schwabii sententiam (Teuffel. hist. litt. Rom.[5] p. 1024) de Marcii Salutaris vitae temporibus, hic potius cum Kiesslingio faciam; nam ille grammaticus a Romano bis laudatur, semel tantum '*vir perfectissimus*' appellatur. Equidem veri simile puto iam ante Constantini aetatem viros claros ita nominatos esse, quanquam perfectissimatus titulus eo quo dixi tempore institutus esse videtur. '*Itaque, vir perfectissimus sine dubio a Romano profectus est*'; cf. Froehde., de C. Iulio Romano 1892, p. 648.

alphabeticus perturbatus est. Recte denique Froehdius[1]) commemoravit totum hunc articulum a Romano ex Porphyrione esse excerptum, cum etiam verba Porphyrionis nomen antecedentia cum Festo congruant. Itaque non habemus cur hic interpolationem a Charisio factam sumamus, qua in re si cum Schwabio facere vellemus, Charisium acri animo et attento hanc partem intuitum esse putandum esset, cui rei locus ille saepius laudatus (p. 209, 21) obstat. Satis igitur demonstrasse mihi videor Porphyrionem iam ab Romano commemoratum esse.

§ 47. Quae cum ita sint, proximum est, ut de Romani aetate quid statuendum sit, quaeramus. Cuius grammatici cum nemo praeter Charisium mentionem fecerit, ad ea remittimur quae apud hunc legimus. Constat igitur Iulium Romanum ante Charisium neque proxime sub huius aetatem, ut supra ostendimus[2]), vixisse. Itaque errare haud videmur, si Romanum ante saeculum quartum aetate floruisse contendimus. Porro videamus, quinam scriptores a Romano citati proxime ad huius tempora accedant. Quanquam de compluribus quo tempore scripserint nihil certi traditum est, tamen extant, qui quibus fere annis vitam degerint, dicere possimus. Laudantur autem a Romano praeter multos alios[3]) C. Suetonius Tranquillus[4]) et M. Cornelius Fronto[5]), quorum alter ab anno fere 75 usque ad annum 160 p. Chr. n., alter ab anno circiter 100 usque ad annum 175 vixit. Deinde nominantur Apuleius Platonicus[6]) et Gellius[7]), quos sub annum fere 130 natos esse viri docti demonstraverunt. Habemus igitur superiorem terminum annum fere, quo M. Aurelius imperator vita defunctus est, i. e. 180. Ex quibus perspicuum est Iulium Romanum tertio p. Chr. saeculo adscribendum esse.

§ 48. Iam veniamus ad definiendam ipsius Porphyrionis aetatem. Hic Horatii commentator bis laudat eos, ut supra commemoravimus, qui de personis Horatianis scripserunt, et Kiesslingius[8]) complures Porphyrionis locos ad eosdem referendos esse auctores docuit.

1) l. c. p. 645.
2) Cf. huius disputat. p. 190.
3) Velut Marcius Salutaris, quem quod Froehdius l. c. contendit Romani aequalem fuisse, ego miror, cum ipse dixisset Salutarem a Romano citari, ex quo ni fallor Salutarem ante Romanum vixisse sequitur.
4) Cf. Keil. Gr. L. I p. 194, 200, 236.
5) Cf. ibidem p. 127, 138, 197, 206, 223.
6) Cf. ibidem p. 240.
7) Cf. ibidem p. 139.
8) l. c. p. 10—14.

Idem veri simile fecit Porphyrionem his locis non ad ipsos scriptores spectare, sed ad alium qui iam eorum libris usus sit, quem Helenium Acronem fuisse suo iure contendit. Hic autem Helenius Acro, quem Porphyrio affert ad Serm. I 8, 25[1]), ante hunc vixit, aetate autem inferior videtur esse Gellio, a quo nunquam commemoratur. Itaque veri simile est eum sub finem secundi vel initio tertii saeculi vitam degisse. Inde sequitur Porphyrionem priori tertii saeculi parti esse tribuendum, Iulium autem Romanum medio fere saeculo aetate floruisse.[2])

§ 49. Atque ut summam faciamus huius disputationis, quae reperimus, paucis repetam:

1. ea ratione qua usus est Urba, Porphyrionis aetas determinari non potest.
2. Porphyrio a G. Iulio Romano citatur ideoque ante hunc, id est initio tertii saeculi vixit.
3. scholia cod. Paris 7900 A saepissime ad pristinam Porphyrionis commentariorum formam spectant, quadecausa in emendandis his inprimis adhibenda sunt.
4. neque scholia cod. Paris 7975 γ nullius momenti sunt ad hanc emendationem.

APPENDIX.

I.

§ 50. Scripsit M. Gitlbauer in excursionibus philologicis, quas anno 1885 edidit, p. 125 sqq. de Porphyrionis exemplo Horatiano, quod ab eis, quae nunc nobis praesto sunt, diversum fuisse contendit, id quod ei, quanquam perpaucis tantum locis cognoscitur[3]), aliquo modo concedere possumus. Sed illud primum exemplum, quod, ut sententiam suam comprobaret, elegit, minime respondet expectationi. Agit autem Gitlbauer de VI primi libri carmine et

1) '*Memini me legere apud Helenium Acronem et q. sq.*'

2) Parum igitur diligenter Froehdius (l. c. p. 672) facit contendens '*Romanum librum ἀφορμῶν sub finem alterius vel initio tertii saeculi composuisse.*' Quomodo enim dicere potuerit: '*nihil docent grammatici quorum aetas incerta est, ut Helenius Acro, Porphyrio, Arruntius Celsus, Statilius Maximus*', intellegi prorsus non potest.

3) Cf. ad c. IV 15 in.

praecipue de versibus eius 13—16, quibus offensi sunt Peerlkampius, Gruppius, Meinekius, Lehrsius, Hauptius, quadecausa eos delendos existimaverunt. Gitlbauer, quanquam non minus quam illi hic offenditur, tamen eos versus non sublatos esse vult, sed auxilio aliunde petito rem optime expediri posse sperat. Porphyrionis enim commentario adhibito sibi persuasit versus illos non esse eiciendos, sed potius primo loco totius carminis ponendos, ut hic ordo versuum nascatur:

v. 13—16.
v. 1—4.
v. 5—8.
v. 9—12.
v. 17—20.

Sed ex eo commentario, quem nos ante oculos habemus, hoc effici non poterat, quadecausa id, quod multis locis evenit, ut ordo scholiorum perturbaretur, hic quoque factum arbitratus, ut Porphyrionis auxilio sententiam suam de Horatii carmine probaret, antea illa scholia ad Horatii c. I 6 ita transposuit, ut ad id, quod intendebat, idonea fierent. Videamus autem, quo iure illam commutationem instituerit.

§ 51. Qui commentarium ad illud carmen saepius commemoratum accurate considerat, ne uno quidem scholio facile ita offenditur, ut hic nonnullas particulas loco suo motas esse censeat. Gitlbauer autem causam habuit, cur id sumeret, eam, ut id quod sibi proposuerat efficeret. Quae igitur sunt eius mutationes? — Primum quidem scholion quod extat ad versum 13 posuit post verba, quae Porphyrio toti huius carminis explicationi praeposuit: '*Agrippam — contubernalis*', ea de causa, ut dicit, quia hoc scholion paene congruit cum verbis iam commemoratis, re autem vera, quia hoc loco optime respondet illi carminis formae, quam sibi mente finxerat.[1]) Nam hoc minime veri est simile Porphyrionem eandem explicationem bis, aliam post aliam, eisdem fere verbis posuisse, qui ordo scholiorum tolerari non potest, nisi unum eorum interpolatum et ob id eiciendum censemus, quod ut faciamus, satis idonea causa non extat. Contra scholion illud ad versum '*Quis Martem tunica etc.*' quo loco nunc legitur, nihil habet offensionis. Deinde ut sententiam suam nobis commendet, hoc affert, extrema verba illius scholii ad Horatii v. 13 '*qui sit Homerico spiritu*' certe referenda esse ad Horatii verba: '*Maeonii carminis aliti*', quae a Porphyrione similiter

1) Cf. Gitlbauer, l. c. p. 128, 18.

explicantur: '*ut si diceret Homericis auspiciis et q. sq.*' Sed ab Horatio nomen Homeri nusquam commemoratur, quadecausa Porphyrio illud '*qui sit Homerico spiritu*' scribere non poterat, quia non habuisset ex quo penderet ideoque omnino intellegi non potuisset, nisi antea verba '*Maeonii carminis aliti*' explicaverat. Cum autem minime ex Porphyrionis consuetudine sit, ea pro explicatis habere, quae infra demum explicaturus est, aut fieri non potest, ut scholion ad v. 13 sequatur scholion ad v. 2 aut verba '*qui sit Homerico spiritu*' Porphyrionis esse non possunt, quod ut credamus nulla re commovemur.

§ 52. Sed si hae causae non tantam vim haberent, quantam certe habent, ut iis adducti Gitlbaueri sententiam reiciamus, quomodo explicari potest ille ordo scholiorum, quem codices nobis praebent? — Si revera scholia in Porphyrionis exemplo Horatiano ita collocata fuissent, ut Gitlbauer credit, fieri non potuit, quin eodem ordine in archetypo Porphyrioneo conscriberentur. Itaque is qui commentarios ex archetypo descripsit, alio fortasse Horatii codice, qui eum quem nunc habemus ordinem versuum praebebat, adhibito scholia transponere debebat, quod, praeterquam quod sui simile non habet, vix credendum est, quia librarius ille non facile operam suscepit adhibendi codicem Horatianum; nam si hoc fecisset, lemmata, quae auxilio talis codicis adiutus facile corrigere poterat, non tam inconsiderate descripsisset et saepius perverse emendasset. Denique talis ratio prorsus aliena est ab ea neglegentia et levitate, qua ille usus est. Concedendum est in codice M multa scholia falso loco esse posita, sed hoc minime ex consilio librarii factum est. Nulla igitur est causa, cur Porphyrionis commentarium in Horati c. I 6 corruptum esse sumamus. Accedit quod omnino non opus est illa transpositione versuum Horatianorum, sed hoc non nostrum, sed eorum est, qui quaestiones Horatianas tractant.

II.

§ 53. Paucas denique addam emendationes ad Porphyrionis scholia.

ad c. I 16 in.: '*O matre pulcra filia pulcrior] hac ode παλινῳδίαν repromittit ei, in quam probrosum carmen scripserat, Tyndaridae cuidam amicae suae, id est recantaturum ea quae dixerat, dicitque se iracundia motum haec scripsisse; adfirmat autem et q. sq.*'

Verba '*id est recantaturum ea quae dixerat*' falso loco posita esse videntur; sunt enim interpretatio Graecae vocis 'παλινῳδίαν'.

Itaque ea primum in margine adscripta fuisse, neglegentia autem deinde post '*amicae suae*' inserta esse puto; Porphyrionis esse non videntur et propterea delenda ea existimem. Cf. Comm. Cruq.: '*Cantat palinodiam, id est cantando revocat, quae scripserat iratus in amicam Gratidiam.*'

ad c. III 14, 2: '*morte venalem petiisse laurum] quam etiam morte paratus est emere*'; scribendum est: '*morte venalem petiisse laurum] i. e. laurum quam etiam morte paratus est emere.*'

ad c. III 16, 21: '*quanto quisque sibi plura negaverit, a dis plura feret] bella relatio sensus est, qua significat se non inter avaros numerari velle quia nec ipse est avarus.*'

Paulyus[1]) verba '*quae—avarus*' post scholio nad v. 23 ponenda aut totum scholion ad v. 21 hic inserendum putat ea re commotus, quod verba '*qua — significat*' explicationem continent illius Horatiani:

'— *nil cupientium*
Nudus castra peto.'

Lenior mihi videtur haec emendatio: 21) '*quanto quisque sibi plura negaverit, a dis plura feret* ⟨*et rel.*⟩*]*[2]) *bella relatio et q. sq.*', quae comprobatur Porphyrionis verbis, quae sunt in proximo scholio '*perseveravit in translatione 'transfugam' dicendo, cum supra 'castra peto' dixisset.*'

ad c. IV 1, 6: '— — *nam et hoc translative dicitur a pecoribus.*' Puto hic vocem '*translative*' interpretationem esse eius quod Porphyrio scripsit: '*μεταφορικῶς*', quod ipsa interpretatione expulsum est. Saepe enim Graeco illo vocabulo utitur Porphyrio, velut ad c. I 22, 4; ad c. I 11, 8; ad c. II 11, 21; ad c. III 16, 18; ad S. I 4, 79; ad S. II 1, 20; duobus tantum locis praeter eum de quo agitur, extat '*translative*' ad c. I 14, 7 et ad c. I 22, 8; in eodem autem carmine legitur ad v. 4: '*μεταφορικῶς.*' Habet denique Acro A, cuius scholion ex Porphyrione desumptum est: '*Et est metaphora a pecoribus.*'

1) 1876, p. 18.

2) Cf. ad S. I 4, 19: '*at tu conclusas hircinis follibus auras et reliqua] per haec significat* — —.'

SVMMARIVM.

I. § 1. Prooemium. §§ 2—4. Quid viri docti de Porphyrionis aetate existimaverint, exponitur. §§ 5—9. C. F. Urbae sententia accuratius examinatur et § 5 agitur de eius ratione in universum, §§ 6—7 de vocabulis Graecis, § 8 de vocabulis aut corruptis aut sermoni vulgari tribuendis, § 9 de iis, quae apud scriptores s. IV et V primum reperiuntur. § 10. Exemplis ab Urba allatis demonstrari non potest Porphyrionem s. IV vixisse; nam commentarios non integros ad nos pervenisse iamdudum viri docti cognoverunt, quorum sententiae afferuntur. § 11. Quomodo ea quam nunc praebent commentarii forma orta sit, exponitur. §§ 12—15. Agitur de tribus vitiorum generibus, quae ante s. IX in commentarios irrepserunt; § 16 de scholiis interpolatis, § 17 de inscriptionibus non Porphyrioneis, § 18 de incerto iudicio in nonnullis scholiis interpolatis disseritur et aliunde auxilium petendum esse docetur.

II. § 19. De scholiorum Horatianorum duabus recensionibus. § 20. De origine et natura scholiorum cod. Parisin. 7900 (A) s. IX. §§ 21—24. Quae intercedat ratio inter Porphyrionis et Acronis A scholia explicatur et exemplis demonstratur. § 25. Sequitur enumeratio locorum, quibus Acro A Porphyrionis commentariis videtur usus esse. § 26. Quomodo Acronis A auxilio Porphyrionis commentarii emendari possint, exponitur et §§ 27—35 exemplis allatis comprobatur. § 36. Agitur de natura scholiorum, quae continet cod. Parisin. 7975 (Γ). § 37. Demonstratur, quo modo scholia Acronis Γ se applicent ad Porphyrionis commentarios, quales nunc extant. § 38. Quae sit illis scholiis ad emendandum Porphyrionem auctoritas, ostenditur. § 39. De deperditis Porphyrionis scholiis, quae in scholiis Pseudacronianis servata videntur esse. § 40. De fragmento Porphyrioneo, quod est in Charisii arte grammatica. § 41. Cum Porphyrionis commentarii in pristinam formam restitui non possint, argumenta ex sermone scriptoris desumpta omittenda sunt aliaque ratione illius aetas definienda est.

III. § 42. Porphyrionis aetati termini extremi ponuntur. § 43. Charisium medio saeculo IV vixisse demonstratur. § 44. Porphyrio non a Charisio, sed a Iulio Romano citatur, quod §§ 45—46 comprobatur. § 47. Iulium Romanum saeculo tertio adscribendum esse docetur. § 48. Porphyrionem priore tertii saeculi parte floruisse ostenditur. § 49. Comprehensio.

Appendix. § 50. Refellitur sententia M. Gitlbaueri, quam professus est in 'Philolog. Streifzüge' p. 125 sq. §§ 51 et 52. De eadem re agitur. § 53. Adduntur aliquot emendationes ad Porphyrionis scholia.